

VITA ET MORES, SPIRITUS, ZELUS, ET DOCTRINA SERUÆ DEI THERESÆ DE IESU, ORDINIS B. MARIÆ...

Joannes : a Sancto Hieronimo, Juan : de Jesús María, ...


14
34 D
3






VITA

ET MORES, SPIRITVS, ZELVS, ET DOCTRINA SERVÆ Dei Theresæ de Iesu, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, ac Congregationis Carmelitarum Excalceatorum Fundatricis.

Per Fratres Ioannem a Sancto Hieronymo, & Ioannem a IESV *Maria, eiusdem Ordinis Religiosos, in Compendium redacta.*

Bonum mihi quia humiliasti me ut discam Iustificationes tuas. Psal. 118.







BRVXELLÆ,
Ex Officina RVTGERI VELPII Typog. Iur.
Anno CIↃ. IↃ. C. X.

Cum Priuil.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. Guidoni Bentiuolo, Archiepiſcopo Rhodienſi, S.^mi D. N. Papæ Pauli V. ac S.^tæ Sedis Apoſtolicæ apud Ser.^mos Principes Albertum & Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem, Burgundicæ ac Brabantiæ Duces, &c. in Belgicis ditionibus Nuntio, cum poteſtate Legati de latere, Dño ſuo obſeruantiſſimo.

Fr. Hieronymus Gracianus a Matre Dei Carmelitanus DD.



Vod de Therſa (Illuſtriſſime Domine) Filia Salphaat, ex tribu, & familia Ioſeph, eiuſque ſororibus, ſacrarum literarum monumentis nobis traditum eſt; id in ſerua Dei Thereſa de Ieſu, S. Ioſeph ſponſi Beatæ Virginis deuotiſſima, mihi contigiſſe videtur. Vt enim illa Therſa ſingulari diuinæ Mageſtatis benedictione, inter feminas prima, fortem & portionem in terra promiſſionis obtinuit: in qua domos, ac prædia ſibi, ſuiſque fundare poſſet (prout diuerſis in locis, & nominatim cap. 27. & 36. numer. & 17. Ioſue Canonica ſcriptura teſtatur:) Ita Virgini noſtræ Thereſæ, rariſſimo Dei munere data eſt facultas, qua in illa terra, quæ ſacroſanctæ Religionis Virgini Carmelitanæ dicatæ obſeruantia, cultuque inter cæteras effloreſcit, monaſtica domicilia, optimis legibus, & inſtitutis efformata erigeret; ac generoſum Excalceatorum Carmelitarum, tam

virorum, quam mulierum ordinem inchoaret; ac fortunatis, & stupendis successibus breui tempore propagaret. Porro quod Hebreis nomen Thersa, Latinis pulchra est, atque placens: id vero pulchrum (ex Platonis doctrina) dicitur, quod visu, auditu, vel intellectu perceptum animos ad se allicit, atq; in sui amorem trahit. Quapropter vt & fructifera Theresæ nostræ pulcritudine cognitâ, legentium animi ad Religionis curam, ad Christianæ perfectionis studium, ad sincerum æternitatis amorem rapiantur, pulcherrimam illius vitam, incorruptos mores, spiritum purissimum, animarum Zelum, doctrinam in illo sexu mirabilem, Conuentuum fundationes, præclara gesta, virtutes heroicas, gratias gratis datas, felicem mortem, & illustria denique miracula, sub tui (Illustrissime Domine) nominis patrocinio publicaui. Quod quamuis non vnus Sanctitatis huius Virginis admirator ante me præstiterit; non vanæ tamen, suoue pondere carentes causæ, vt & idem ego post multorum conamina præstarem, me impulerunt. Ipsa Theresa cœlesti instinctu, Hispano idiomate seipsam scripsit, factaque sua, ad suorum profectum, & pietatis exemplum, diuinitus dato stilo, digessit. Hunc librum in Italicum sermonem Franciscus Bordonius Archiepiscopus & Auenionen͂ Vicelegatus transtulit, & typis mandari Romæ curauit. Quem non multo post latinitate donatum, Fr. Antonius Kerberkius Louaniensis Doctor, ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Moguntiæque Prior, perque Rhenum & Sueuiam Vicarius generalis, Moguntino prælo subiecit, & euulgauit Neuè Galli carerent eo, quem cum summo virtutis fructu aliæ gentes possidebant, eundem deuotus, & honoratus vir Ioannes a Quintanadueñas Bretegni Presbyter cum Carthusiensibus Cœnobij Borfontenij monachis, translatum in linguam Gallicam Lutetiæ Parisiorum in publicum misit. Tandem vero ne Belgis negaretur hocce pietatis emolumentum, Reuerendi PP. Soc. Iesu Collegij Bruxellensis (vt & ipsa Theresa nostr

nostra de se ore Flandro loqueretur) accurato labore effecerunt. Quorum omnium laudatum sudorem, præuiumque cursum, spirantes adhuc in Anglia Catholicæ puritatis reliquiæ non impari cura sequuntur: et in hoc aliqui latentes Catholici Londini incumbunt: Vt sicut in alijs partibus hæc Virgo non obmutescit, nec silet; sic & ibi labia soluat, contumaces turbet, errantes in viam vocet, nutantes excitet, pios vero & Orthodoxos confirmet. Nec adhuc tam perditus, & deploratus illius regni status est, vt omnino nullum ex hac re profectum expectare debeamus. Ignem in medio gelu, si colloces fortius vret; si lucem adiunxeris in tenebris erit radiantior: in Babilone si bonus, confundet nequitiam: in Sodoma si castus confundet stupra, fors & emendabit. Omne malum imbecillum est, imo nihil est, cum accesserit bonum, aut fugans, aut dissipans, aut penitus illud vincens, & in sui vertens naturam. Ergo sperandū non erit hic ociosa Theresa, quæ alibi multum egit, & egisset credo plura, si modestia eius, & humilitas multa de se ipsa cum veritate scribere olim non vetuisset. Quæ tamen ne prorsus ignorata forent, P. Doctor Franciscus Ribera Soc. Iesu, libro Hispanice conscripto, studiose suppleuit, & iteratis in Hispania editionibus toti mundo promulgauit: quem supranominati Bretigni & Carthusiani etiam Gallum fecerunt, Parisijsque & Antuerpiæ publicatum in manus multorum liberali adfectu tulerunt, Riberam non minus animoso cursu sequutus Fr. Didacus de Yepes, Tirasonensis Episcopus, & Philippo II. Hispaniarum Regi a sacris confessionibus: qui impressum Cæsaraugustæ in Hispania, etiam copiosum volumen de eadem Theresa composuit. Vt & Pater Iulianus de Auila presbyter Abulensis, Aubertus Miræus Canonicus Antuerpieñ, aliíque non pauci excalceatæ Religionis Fratres multa de eiusdem Theresæ vita ac monasteriorum fundationibus ediderunt. Tot calamos vides, tot ingenia laborasse, vt miranda Virginis huius facta Christianus orbis legeret, nosceret,

ã 3 *& imi-*

& imitaretur. Ex quibus omnibus alijsque non editis, sed purissimâ veritate & fide conscriptis tractatibus, Fratres Ioannes a Iesu Maria, & Ioannes a Santo Ioseph ordinis Excalceati Theresam nostram in summam quandam, Centum & quinque articulis distinctam, ac velut in epitomen eorum, quæ fusè per varios libros sparsa sunt, redegerunt. Omnes hos fere libros legi, perque decem annos ipsius Theresæ confessiones audiui, Arcana sui pectoris, & secreta Spiritus mihi non abscondit, quid egerit, & quo modo vixerit, hisce oculis egomet vidi, hisce auribus hausi. Compendium ergo istud, cùm perquam mihi arriserit, typis idem subycere, & communi luce sub tua protectione donare visum fuit; Accipe igitur (Illustrissime Domine) hoc non leue adfectus erga te mei argumentum: tuis auspicijs Theresana Religio floreat, tuis curis maiora per Belgicam sumat incrementa; tuis denique studijs speratum bonis omnibus fructum ferat. Vale, & in Albo tuorum me bono vultu pone.

Imprimatur G. Episcopus Rhodiensis Nuncius.

PREVILEGIO.

LOS Serenissimos Principes Alberto, y Isabel Clara Eugenia, Duques de Brabante &c. Mandan so las penas contenidas en el Priuilegio, dado al M. F. Geronimo Gracian de la Madre de Dios, de la Orden de nuestra Señora del Carmen, que ninguno Imprima, ni venda este Libro Intitulado *Vita & mores spiritus Zelus & Doctrina Seruæ Dei Theresæ de Iesu, &c.* por espacio de seys años, sin licencia del dicho Padre M. Geronimo, o de quien tuuiere su poder. Dado en Brusselas, a 11. de Henero mil seyscientos y diez.

Le Conte.



DE ORTV, EDVCATIONE, ET RELIGIONE

Seruæ Dei Theresiæ de Iesu.

Art. 1.



IN antiqua & Nobili Ciuitate Abula, in Regno Castellæ, veteris Tarraconeñ Hispaniæ: anno Domini 1515. sub die 28. Martij, ex nobilibus Alphonso de Cepeda, & D. Beatrice de Ahumada legitimis Christianis coniugibus nata, & secundum ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ baptizata fuit serua Dei Theresia, illorum filia legitima & naturalis.

2. Et piè & Christianè a parentibus educata, ab ipsa ineunte ætate, spem futuræ sanctitatis manifestans. Sextum seu septimum annum attingens, gloriam, siue pœnam sempiternam hominibus futuram prospiciens, sæpe repetere hæc verba consueuit, *In æternum, in æternum, in æternum*, viam veritatis in tali tenella ætate, ex horum verborum pronunciatione sibi impressam ostendens. Et eleemosinas vsque tunc temporis elargita fuit, & elargiebatur, & vt poterat solitudinem quærebat, vt

consuetas preces (quæ multæ erant) Deo offerret, ac B. Virginis Rosarium, cuius semper deuotissima fuit, persolueret.

Necnon in hac ætate, adhuc puella Sanctorum leges martyria, paruo illos precio æternam Dei gloriam comparasse reputans, ardenti martyrij desiderio flagrans, cum germano fratre suo conuenit, vt ambo mendicantes, propter Dei amorem ad Maurorum regiones profecti, capitis abscissione martyrio coronarentur. Quod dum generoso supra ætatem affectu aggrederentur, iamque paterna domo & Ciuitatis portâ (quæ vulgo vocatur Adoxa) egressi essent, dũ iter capiunt, per ponte, qui iuxta ciuitatem est, obuius illis quidam eorum patruus, ipsos domum reduxit: cumque à matre obiurgarentur de absentia, frater totã culpã in virginẽ trãsfudit, dicẽs se non nisi sororis precibus, illud iter fuisse aggressum.

Quod desideriũ cùm exequi impossibile existimaret, ad Eremiticam vitam transigendam se conferens, quasdam Eremiticas cellulas puerili more, sed maturo sensu in paterno horto construebat, quasi præsagiens eas, quæ deinde eius opera temporis decursu construendæ erant.

3. Duodecimum annum agens matre orbata, ob idq; mœrore ac dolore affecta, ante B. Virginis Mariæ imaginem profusis lacrymis orauit, vt matris vices gerere erga ipsam vellet: quæ oratio Deiparæ oculis valde grata & accepta fuit: vt postea in omnibus euentibus clarè apparuit, ex singulari eius cura & protectione circa illã.

In hac ipsa ętate cœpit etiam Dñs specialiter impartiri huic

huic Virgini primitias ſpiritus orationis. Nam videns imaginem Samaritanæ colloquẽtis cum Chriſto, in paterna domo depictā: in qua erant ſcripta illa varba, *Dñe da mihi hanc aquam*, vt Dominus ei viuā illam aquam ſpiritus & gratiæ pręberc dignaretur, crebro efflagitabat, quę poſtea copioſe admodum illi ſuppeditata fuit.

4. Vigeſimum annum agens, ſpreta vanitate, religioſam vitam profiteri ſtatuit: quod Patri aperiens, cùm ille facultatem id faciendi, ob vehementem in filiā amorem denegaret, ipſa nihilominus cùm in epiſtolis Diui Hieronymi illa verba legiſſet: *Per calcatum perge patrem*, viriliter contra parentis voluntatē diuinæ vocationi obtemperans, vnà cum fratre (cui etiam religioſam vitam perſuaſerat) propria renitente carne, magnaque vi ſibi illata, in Ciuitate Abuleñ ad Monaſterium Incarnationis, ordinis mitigati B. Marię de mōte Carmelo cōfugit.

In quo cùm Nouitiatus annū magna cum alacritate tranſegiſſet, in humilitatis poſtea, ac pietatis operibus, & maximè in peccatorum compunctione, dono lachrymarum, quod diuinitus ei fuerat collatū, in alijsq; ordinis obſeruantijs ſe exercēs, profeſſionem fęliciter inijt.

Nec multis à profeſſione trāſactis diebus, ob vitę mutationem, ciborū varietatē, aliasq; religionis aſperitates in varia morborū genera incidens, ſæpe animi deliquia, cordis dolores, & alia ſimilia patienter perpeſſa fuit.

5. Cumq; his morbis (vtpote grauioribus) Abulę medicina non inueniretur, per patrem, valetudinis gratia à Monaſterio, in quo tū tēporis clauſurę nō vigebat obſer

ad fœminam quandam degentem in oppido, non multum ab Abula diſtante, (vulgo Bezedas nuncupato) coactè abducta fuit, ibique per aliquod temporis ſpatium commorata.

Cùm remedia non proficerent, a Patre demum reducta eſt: Vbi diu, noctuque ab intenſiſſimis doloribus vexata, ethica inſuper febri, neruorumque contractione laborans, in ipſa infirmitate nihil niſi de Deo loquebatur: & incredibili patientia, & cum voluntate Dei magna conformitate, multoties illa verba Iob repetebat, *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?*

Morboque ingraueſcente, ipſo Aſſumptionis B. Virginis die, jam deſperata valetudine, paroxyſmum quatriduo eſt perpeſſa. Ita vt poſt ſuſceptum Extremæ Vnctionis Sacramentum, ſepulchrum ei parauerint; quam & humaſſent, niſi pater eius id facere prohibuiſſet.

Tandem poſt quatriduum, cùm non tam paroxyſmum, quàm diuinam extaſim pateretur, ad ſe reuerſa, querebatur, quòd è cœlo, in quo ſe fuiſſe aiebat, eã euocaſſent: addens inſuper parentem ſuum, & quandam monialem amicam eius, nomine Ioannam Suarez, ipſa mediante ſaluandos fore. Affirmans præterea, vidiſſe multa Monaſteria, quæ ab ipſa erant erigenda, multasq; animas, quæ eius cauſa erant ſaluandæ: Deniqúe ſe ſanctam morituram, & quòd eius ſepulchrum panno, vt vocant, brocati erat cooperiendum, vt poſtea euenit.

6. Has infirmitates præfata Virgo Thereſia a Deo preci-

precibus impetrauit, nam cùm in Monasterio, in quo professionem emiserat, monialis quædam esset graui, & horribili morbo laborans, quæ alimenta omnia per quædam ventris foramina egerebat: cùm cæteras videret, huiuscemodi morbos pertimescentes, Dei serua decumbentis patientiã considerans, sancta quadam æmulatione Deum enixè orauit, vt quascumque ægritudines, vna cum virtute patientiæ illi infligeret: qua oratione exaudita, omnes supra commemoratas infirmitates in omni intensione per triennium pertulit.

7. Commorabatur in illo oppido (quod curationis gratia petiuit Virgo Theresia) vir Ecclesiasticus, turpe exercens commercium cum fœmina quadam ab ea fascinatus: qui non sine magno totius populi scandalo sacrum faciebat. Hunc est alloquuta præfata Virgo, & sermonem de Deo cum illo habens, ita illum persuasit dicendo, vt Idolum ab illo abstulerit, in quo tota fascinatio inerat. Et Sacerdos in se reuersus, maximas Deo agebat gratias, quòd ab illis tenebris tandem emersisset, & intra annum piè obijt, vt bonum Christianum decet, ab omni praua occasione semotus.

8. Et per intercessionem Sancti Ioseph (cui hęc Virgo deuotissima fuit) Deus illi sanitatem concessit, & è lecto surrexit.

Per spatium 18. annorum se exercuit, ferè semper cum magna spiritus ariditate, & labore in oratione mentali: in qua vt plurimum meditabatur vitam, & passionem Domini nostri Iesu Christi.

Piam lectionem frequentabat, & campi flores, aliæq; creaturæ libri loco illi erant, præcipuè tamen se exercere consueuerat in meditanda Christi in horto oratione, & captura.

Et licet hæc omnia orationis, & aliarum virtutũ exercitia, non tam feruenter, vt inchoauerat, operari videretur, quibusdã recreationibus, & vanis colloquijs detenta fuit, ne ad altiora contenderet. Quæ cùm Confessarij eius, tunc parum rerum spiritualium periti, licita & honesta esse illi affirmarent, illa tamen illis, quasi quibusdam vinculis impediebatur, ne liberè ad Deum posset euolare: ita tamen, vt nec eo tempore, nec antea, nec postea cognitũ vnquã fuerit, quòd præfata Virgo Theresia aliqua mortiferi peccati labe scienter fuerit inquinata.

9. Post has prolixas pugnas cum ariditatibus, & internis desolationibus alijsq; impedimentis, ista virgo totam se Deo tradere ardenter desiderans, die quadam Oratoriũ ingressa, vbi pia imago Christi vulnerati aderat, repente ad eius conspectum turbata fuit, memorans quàm ingratam se illis vulneribus ostendisset: & graui percussa dolore, iuxta illam imaginem multam lacrymarum copiam effundens, se prostrauit, obnixè Deum deprecans, vt illam corroborare vellet, ne vlterius illum offenderet: addens cum magna fiducia, se nullatenus inde surrecturam, nisi postulata concederet: & ab illo tempore in anima sua spiritualem progressum, & magnam mutationem cœpit experiri. Accidit etiam, vt euoluens Confessiones Diui Augustini, quem ipsa summa deuotione

tione profequebatur: ftatim ac peruenit ad illius conuerfionem, & legit illam vocem quam in horto audierat, vox eadem ad fe directa ei videbatur: vbi tanta fuit cordis cõmotio, qua fe diuinitus permoueri fenfit, vt per magnũ tẽporis interuallũ tota in lacrymas refolueretur.

Exinde orationis & mortificationis frequentiæ fe tradidit, Deusque maiora beneficia, & gratias illi conferre cœpit, & perfeuerauit.

De dono Orationis.

10. Et cùm tot annis tam patienter & humiliter internas defolationes pertuliffet, & omnes mali occafiones tam ferio euitare ftatuiffet, Deus feipfum illi varijs modis communicare cœpit. Nam ftatim in feipfa diuinam quandam & fupernaturalem orationem experta eft, in qua Dei ferua in intimo fui fpiritus, cum magna potentiarum fuarum tranquillitate fenfit, maximam pacem, & quietem & fuauiffimo gaudio perfruita eft a fuaui Dei præfentia promanante. Et poft hanc orationẽ aliam altiffimam (quam orationem vnionis myftici appellant) ei Deus conceffit: in qua anima tota coniuncta, vnita, & veluti transformata in Deum, à fenfibusq; alienata remanebat: ficq; in dies magis ac magis fe illi Deus manifeftabat. Ita vt quadam die orans, ingentem raptũ paffa fit (qui fuit primus eorum qui ei acciderũt) in quo hæc a Deo accepit: *Nolo vt poſthac conuerſeris cum hominibus, ſed cum Angelis.* His verbis, vtpote diuinis, renouatum eft cor Virginis, & à terrenis omnibus fuit alienatum, & in folo Deo fixum manebat.

Poft

Post hæc eam Dominus sæpe alloquutus fuit, nunc blandiendo, nunc docendo, quæ ad eius cultum & voluntatem spectabant, nunc etiam illam increpando: & cùm orationem suam, & quæ in ea audiebat Dei eloquia Cōfessarijs aperuisset, & inter se dissiderent, alij Deum, alij Dæmonem loqui asserentes, & propter hoc Dei serua afflictissima existeret, hæc à Deo audiuit, *Noli timere filia, ego sum, non te derelinquam, ne timeas.* Quibus ex verbis secura, & quieta remansit, fidens quod Dei spiritu duceretur.

11. Cumque internis his loquutionibus visitaretur a Deo, timens ne fortè a Dæmone illuderetur, per se & per alios Dominum, & Sanctos est deprecata, vt eam ordinaria via duceret, aut saltem rei veritatem propalaret. Et die quadam Apostolorum Petri & Pauli orans, Christum Redemptorem nostrum, iuxta se sensit, & exinde sentiebat, oculisque intellectualibus spectabat, eum a dextero suo latere incedentem: cuius presentia, visione intellectuali fruebatur, nisi aliàs esset mens valde distracta: quæ visio assiduè per aliquot dies perdurauit. Cumque in dies fauores crescerent, clarius etiam se illi Christus patefecit, licet sensim, & per partes. Primo enim solùm manus suas, magna pulchritudine condecoratas illi spectandas præbuit; nec multo post vultum ostendit.

Denique die quadam Diuo Paulo dicata, cùm Missæ sacrificio interesset, sacratissimā suam humanitatem illi spectādam exhibuit, ea forma qua Christus resuscitatus pingi

pingi folet, tanta claritate, pulchritudine & Maiestate infignitam, vt verbis exprimi non poffit. Qua Chrifti Redemptoris noftri præfentia ferè per triennium continuo fruebatur, femperque amanter cum eo colloquebatur. Nec folummodo illum juxta fe confpiciebat, fed quotiefcumq; facrum audiebat, ipfe in hoftia refufcitatum & gloriofum alijsq; modis fe illi fpectandum præbebat. Aliquando enim vel vulneratum in cruce, vel fpinis coronatum, vel crucem baiulantem fe illi demonftrabat.

12. Cumque hæ vifiones multiplicarentur, Confeffarius, fufpicans Dæmonis effe impofturas, præcepit vt illis refifteret: & cùm aliquod huiufmodi vifionis ei appareret, figno crucis fe muniret, & digitis quędā irriforia (Hifpanè higas) faceret. Quibus mādatis Dei ferua in captiuitatem fenfum fuum redigens, maximo cum dolore obtemperabat, veniam à Domino poftulās, dicens fe hoc præftare, vt Miniftris ab ipfomet in Ecclefia conftitutis pareret. Cui Deus refpondit: rectè illam facere Confeffarijs obediendo, facturum fe tamen vt veritas cūnctis innotefceret: & cùm Dei famula oraret, crucemque manu contrectaret, quam Rofario B. Virginis appenfam geftabat, illam Chriftus fua manu apprehendens, cum quatuor magnis gemmis adamante precioforibus, Chrifti vulneribus confignatis illi reftituit: dixitque Virgini Therefiæ, fe in pofterum illo modo vifuram illam Crucem. Vnde non jam lignum, ex quo erat compofita, fed crucem fumpta forma confpiciebat.

Quæ crux post dictæ Virginis mortem ad manus deuenit D. Ioannæ de Ahumada, sororis eius: quam postea precibus ab ea impetrauit D. Maria de Toledo, Ducissa Albæ. Cum hac Cruce aliqua miracla edita sunt, & publicè fertur illam esse Crucem, in qua prædicta Dei serua illas gemmas Christi vulneribus consignatas intuebatur.

13. Volens quoq; Dominus iuxta promissa veritatẽ patefacere, quò maior erat seruę Dei resistẽtia, eò maior erat beneficiorum collatio: ita vt nullo pacto se ab orationis exercitio, & amatorio cum Deo colloquio remouere posset. Tantoque Dei amore æstuare cępit, vt animam efflare videretur, ob vehemens desiderium videndi Deum: qua etiam causa tantos patiebatur impetus, vt eius præcordia jaculo veluti transfixa viderentur: quo se sauciatam sentiebat amoris diuini vulnere graui, & jucundo. Cùm hæc pateretur, placuit Deo, vt Seraphim pulcherrimum, corporea forma, vultu accensum videret, gestantem manu jaculum, cuius spiculum erat ignitum, quo cor Virginis transfigendo viscera ipsius laniata extrahebat: ita vt illam Dei amore vehementer incensam relinqueret.

Adeoque intensus erat dolor, quem illa in his ictibus sẽtiebat, vt maximos gemitus edere cogeretur, cùm tamẽ magna simul suauitate, & delectatione frueretur.

14. Habuit etiam alias visiones particulares, præsertim tamen die quadam spiritus eius raptus & eleuatus in cœlum fuit: magnaq; & arcana Dei vidit, & aliquoties

ties hoc beneficium cùm à Domino reciperet, tam miranda & ineffabilia ſecreta manifeſtabantur, vt impoſſibile foret ea vel ſcire, vel explicare.

Cùm ſemel à Domino hi Theſauri & diuitiæ illi mõſtrarentur, dixit Virgini quam iuxta ſe tenebat, *Conſidera filia, quantis careat bonis, qui mihi aduerſatur.*

Habuit etiam Dei ſerua multas viſiones, & repræſentationes eo modo quo in hac vita fieri poſſunt, de Sanctiſſima Trinitate, de Beata Virgine Maria, de Sancto Ioſeph, de Beatis Apoſtolis Petro & Paulo: quos ſæpiſſimè à ſiniſtris ſibi adſtare vidit: quorum patrocinium illi Dominus pollicitus fuit, ne à Dæmone deciperetur.

Item habuit innumeras alias viſiones, in quibus Angelos Sanctos, & Chriſtum Redemptorem noſtrum vidit, quarum aliquas ipſa de Superiorum mandato conſcripſit; plures etiam Chriſti locutiones internas, ac reuelationes cum multo ſuo & aliorum profectu.

Diuini enim ſpiritus efficacia ita rapiebatur, vt non ſolùm præfatæ Virginis anima, ſed etiam corpus aliquando à terra eleuaretur. Quapropter Dominum humiliter orabat, ne hos fauores palam illi conferret; quibus ipſa, ne ab alijs notaretur, fortiter reſiſtebat, nunc cancellos ferreos Eccleſiæ, nunc pauimenti ſtoreas ſtrictè comprehendendo, nunc monendo ſocias, vt arctè eam detinerent, qua reſiſtentia non parum vexabatur. Et die quadam cùm hoc beneficium ſibi à Deo concedi velle præſentiret,

sic eum instanter alloquuta est: *cùm nihil, aut parum referat vt ego à te hanc gratiam accipiam, obsecro Domine mi, ne occasionem huj fauoribus præbeas, vt peccatrix fæmina, qualis ego sum, pro sancta reputetur.* Quod à Domino impetrauit, nec deinceps huiusmodi raptus, quibus à terra eleuaretur, passa fuit.

16. Cumq; formidaret, ne forte à Dæmone deciperetur, manifestabat ac manifestare solita fuit, omnia suprascripta, & alia beneficia, quæ illi à Domino conferebantur, Patribus Societatis Iesu, spiritu & doctrina præstantibus Confessarijs suis, præcipuè verò P. Balthazari Aluarez Prouinciali Toletanæ Prouinciæ: qui propter insignem virtutem, & experientiam suam Præfectus, & Magister spiritus in tota illa Prouincia fuerat constitutus. Idipsum faciebat cum alijs grauissimis & doctissimis Patribus Societatis Iesu, qui per sexennium varijs experimentis illam probārunt. Quamuis enim omnes vniuersè eius spiritum probarent, aliqui tamen cùm adeo extraordinaria, & rara cernerēt, cum formidine & cautela procedebant: & cùm hoc tempore Abulam venisset, vbi Virgo Theresia morabatur, P. Frater Petrus de Alcantara, Ordinis Descalceatorum Franciscanæ familiæ (vir spiritu singulari præditus, & rerum spiritualium experientia præstans, quique in Estremaduræ Prouincia nouæ reformationis sui ordinis prima fundamenta iecerat, vir tandem omnium opinione sanctus habitus & existimatus) Huic confessa est præfata Virgo: & omnia quæ in oratione ei accidebant, cum eo contulit: ipse experientia edoctus (similia enim patiebatur)

eam

eam illuſtrauit, & ſolatus eſt, affirmans illa omnia ita certò à Dei ſpiritu prouenire, vt nihil certius præter ea quæ fide credimus, eſſe poſſet. Identidem dixit alijs perſonis, præfatam virginem vnam eſſe ex ſanctioribus quas Deus in Eccleſia ſua haberet: exinde arctiſſima cum ea amicitia coniunctus fuit: Et hoc teſtimonio, & viri authoritate ſedati fuerunt eius Confeſſarij, alijque qui de eius ſpiritu ſubdubitabant.

17. Et cùm Dei fauores & beneficia multiplicarentur, magis Dei ſerua formidabat, ne à Dæmone deciperetur. Quapropter coacta fuit conſulere omnes viros, qui in vniuerſa Hiſpania doctrina, & ſanctitate florebant: nec iſtud tunc ſolummodo præſtitit, ſed etiam quando ad erigenda monaſteria totam Hiſpaniam peragrauit.

Ea tempeſtate, ſpiritus ſui ſecreta contulit, cum nonnullis Dominicanæ familiæ Patribus: præſertim cum Patre Magiſtro Garzia de Toledo, Indiarum Commiſſario, qui illi præcepit, vt anteactæ vitę ſuę actiones omnes perſcriberet, vt mitti poſſent ad prænominatum Magiſtrum Auilam, virum ſingulari ſanctitate præditum, præſertim verò ſpirituum diſcretione conſpicuum: cuius vita adeo Euangelica & ſpectabilis fuit, vt eam P. Ludouicus Granatenſis conſcripſerit: qui cùm Virginis Thereſiæ progreſſum vitæ, & omnia alia legiſſet, probauit, & tuta incedere via exiſtimauit.

Identidem fuit examinatus & probatus eius ſpiritus à doctiſſimis alijs Dominicanæ familiæ viris, quos ipſa

aut confeſſione aut epiſtolis conſuluit. In his fuerunt P. M. Dominicus Bañez, primę Cathedræ Theologicæ Salmanticenſis Prælector, cui per ſexennium confeſſa eſt. P. M. Bartholomæus Medina, primarius etiam Pręlector Scholæ Salmanticenſis, cui totius vitæ culpas confeſſione aperuit: qui mirandum in modum iſtius Virginis ſpiritum & ſanctitatem commendauit. Item ex hac eadem familia Dominicanorum plures alij grauiſſimi Magiſtri prædictæ Thereſiæ ſpiritum vitamque ſanctiſſimam approbauerunt.

P. M. Mantius Salmanticenſis Scholæ Primarius Theologiæ Prælector.

P. M. Petrus Fernandez Cõmiſſarius Apoſtolicus, & à Summo Pontifice conſtitutus Viſitator totius Ordinis Carmelitarum, qui per aliquot annos Superior & Confeſſarius eiuſdem Thereſiæ fuit.

Item P. M. Chaues à ſacris confeſſionibus Philippi II. Hiſpaniarum Regis, qui dum eſſet Rector Conuentus S. Thomę Abulen̄, ſacras confeſſiones ipſius Virginis audiuit.

Item P. M. Fr. Ioannes de Salinas Prouincialis Prouinciæ Caſtellę: hic cùm nollet fidem adhibere ijs quæ de Virgine audiebat, poſtea tamen Toleti, cùm eius cõfeſſiones crebro audiret, valde ſpiritum & ſanctitatem virginis approbauit.

Item P. M. Fr. Ioannes de las Cueuas, Confeſſarius Archiducis Alberti, & Epiſcopus Abulen̄, qui etiam ſacras confeſſiones Dei ſeruę audiuit.

Item P. M. F. Ioannes Gutierez Concionator Regis Philippi II.

Item P. M. F. Ferdinandus del Caftillo Concionator eiusdem Regis Philippi, vir aliâs grauiffimus.

Item P. M. F. Didacus de Yanguas Prælector Collegij Vallifoletani S. Gregorij, & Rector Collegij Complutẽ, eiusdem ordinis, qui per multum tempus confeffiones prædictæ Therefiæ audiuit.

Item P. Præfentatus F. Petrus Iuañez Collegij Vallifoletani Regens, qui & pro approbatione fpiritus virginis tractatum quendam eruditè confcripfit. Item P. M. Vincẽtius Barron S.æ Inquifitionis Toletanę Cõfultor.

Item P. Præfentatus Fr. Philippus de Menefes Collegij S. Gregorij Rector. Item alius Præfentatus nomine Henar alijque multi prædictæ Religionis.

Infuper approbatus fuit eius fpiritus & fanctitas à multis eruditis & fpiritualibus Patribus Societatis Iefu, quibus ipfa confeffa fuit.

In primis ergo à facris confeffionibus illi fuit prædictus P. Balthazar Aluarez, fapientia, fanctitate, experientia & dignitate vt fuprà clarus, hic primus ductor eius fuit, & ipfiusmet interuentu P. Francifco Borgiæ Generali Præpofito Societatis Iefu confeffa fuit, & ab hoc Patre prçcipuè in initio fecurè agere monita fuit. P. Gil Gonfalez Prouincialis Caftellanæ Prouinciæ. P. Araoz Commiffarius Generalis eiusdem Societatis. P. Henricus Henriquez auctor Summæ Theologiæ moralis. P. Rodericus Aluarez vir regiminis animarũ peritiffimus

qui

qui etiam plurimas fallacias, & Dæmonis imposturas in alijs patefecerat, cui ferua Dei, ex mandato suorum Prælatorum, generalem suæ vitę rationem sub confessionis sigillo aperuit.

Pater Martinus Gutierez Rector Salmanticeñ, & vir in rebus spiritualibus valde versatus.

Pater Ripalda, Rector etiam Salmanticeñ.

Pater Salazar Rector Abuleñ. Collegij, & postea Conchensis.

Pater Santander Rector Collegij Segobieñ.

Paulus Hernandez Sanctæ Inquisitionis Toletanæ Consultor.

A quibus omnibus, post factam cum eis confessionem, spiritus Virginis Theresiæ diuinus fuit judicatus.

Item tractauit cum Patre Ribera viro eiusdem Societatis doctissimo, & pijssimo, qui pro approbatione sanctitatis eiusdem Virginis librum conscripsit.

Item cum multis & grauissimis aliarum Religionũ Patribus egit, præsertim cum P. Didaco de Yepes, Ordinis S. Hieronimi, Confessario Regis Philippi II. & Episcopo Tirasoneñ. Huic confessa est, & eius spiritum summis laudibus ipse commendans, librum de eius vita & miraculis edidit.

Item confessa est, & communicauit cum multis Patribus Carmelitis, præsertim cum P. M. F. Angelo de Salazar, Vicario Generali eiusdem Ordinis, qui & per multos annos Prælatus Virginis fuit.

Item cum P. Fr. Hieronymo Graciano a Matre Dei qui

qui fuit Commissarius Apostolicus, & Prælatus eius, & pro confirmatione & approbatione spiritus dictæ virginis librum edidit, qui Dilucidarium spirituale inscribitur.

Item de suo spiritu & oratione tractauit cum Patre Generali eiusdem ordinis, Baptista Rubeo Rauennate: à quo approbata & commendata fuit, & illi iniunxit, vt multa construeret Monasteria.

Insuper approbata fuit à Christophoro Colon Visitatore Generali Archiepiscopatus Valentiæ, & Confessario eiusdem Virginis.

Item à Patre Iuliano de Auila, qui per viginti annorum spatium eius Confessarius extitit: fuit enim Virginis ferè semper Confessarius, cùm ob alicuius monasterij erectionem iter faciebat: qui sanctus habitus, & reputatus est, & librum composuit de vita & virtutibus prædictæ virginis, vt ille qui optimè cognoscebat ipsius sanctitatem, & operum eius testis fuerat oculatus.

Item approbata fuit à Domino Aluaro de Mendoza Episcopo Abulensi, qui fuit primus Prælatus ipsius, post quẽ nouam reformationem inchoauit.

Item a Doctore Velazquez Archiepiscopo S. Iacobi in Compostella, cui & confessionem fecit iussu Doctoris Castri Episcopi Segobieñ, & Confessarius virginis, à quibus similiter fuit approbata.

Itẽ à Doctore Sierra Episcopo Palentino, qui eius cõfessiones audiuit, cũ esset Burgensis Canonicus: idẽ fecit in illa Vrbe Doctor Mãsus, nunc Calagurritanus Episc.us

Quos omnes ſupradictos, & alios qui ſilentio prætermittentur, conſuluit prędicta Virgo Thereſia, cum eis beneficia & fauores, quos à Deo recipiebat, cõferendo, qui illos approbauerunt tamquam à Deo abſque vllo dubio prouenientes, & virtutes & ſpiritum Dei ſeruæ venerati ſunt, & vt ſanctam exiſtimauerunt.

De noua tum Fratrum tum Monialium reformatione, quam Dei ſerua inchoauit.

18. QVotidie magis Dei beneficia erga Dei ſeruam multiplicabantur, ipſa etiam magis ad magna pro eius amore patranda accendebatur, & propterea (non ſine Diuino conſilio) incepit ſimul cum Guiomara de Vlloa Ciuitatis Abulen̄ nobiliſſima femina, de conſtruendo Monaſterio cogitare, in quo ſtrictior clauſura vigeret, & primitiua regulæ Carmelitarum jam collapſæ reſtauraretur obſeruantia, & alia arctiora ſtatuta ſeruarentur.

Quod cùm Deo commendaſſet, poſt ſuſceptam Euchariſtiam, illi apparuit, præcipiens vt huic negotio toto pectore incumberet, & Monaſterium S. Ioſeph dicaretur: Addens inſuper ſanctum iſtum pro Monialium protectione in vna ex januis Conuentus, in altera verò B. Virginem commoraturam, & Monaſterium ipſum fulgentiſſimam ſtellam futuram.

Cùm autem propter arduitatem, & difficultatem operis illud aggredi differret, ſæpius illi Dominus præce-

præcepit, vt huic rei inſtaret, dicens, id eſſe voluntati ſuæ gratum & acceptum. Ipſa verò vt ſecurius in re tam graui ageret, rem totam aperuit Patri Fratri Petro de Alcantara, viro omnium opinione ſanctiſſimo, qui Virginis deſiderium probauit & laudauit.

Idipſum fecit (per Epiſtolam tamen) cum Beato Aloyſio Beltrano, qui poſtquam rem hanc Deo commendauerat, illi addidit animos ad tantum facinus aggrediendum, certum ei ex parte Dei auxilium promittens, & affirmans religionem iſtam intra quinquageſimum annum vnam ex illuſtrioribus Eccleſiæ futuram. Eandemque rem cum ſuo Confeſſario contulit, qui tunc temporis erat Pater Balthaſar Aluarez Societatis Ieſu, Et cum Prouinciali ſui Ordinis Fratre Angelo de Salazar, à quibus facultatem accepit, vt rem totam perficeret.

Sed maxima fuit, tum Ciuitatis, tum Monaſterij propter hoc commotio, & magna contra Dei ſeruam procella excitata eſt: quæ cùm aliquantulum angeretur, eam ſolatus eſt Dominus, dicens: inde videre ac colligere poſſe, quæ Sancti viri religionum fundatores perpeſſi fuiſſent, & maiores in poſterum, quàm cogitaret perſequutiones ſe paſſuram, & vt hæc omnia paruipenderet.

Cùm autem Prouincialis, & ipſius Confeſſarius, prædictam commotionem excitatam, tam in Ciuitate, quàm in Monaſterio magnam eſſe animaduerterent, facultatẽ

tractandi de hac re illi interdixerunt: ipsa verò statim eis promptè & humiliter obtemperauit: etiam si res in eo statu versarentur, vt sequenti die omnia concludenda, & scripturæ de emptione domus pro Monasterio extruendo faciendæ essent: & ita serua Dei per sex mensium spatium a noui Monasterij erectione cessauit.

Tempore hoc elapso illi Dominus præcepit, vt rem iterum curaret, aliquas rationes ad hoc spectantes illam edocens, vt eas Confessario suggereret: præcipuè tamen illi iniunxit, vt Confessario diceret, quòd versiculum illum Psalmi, *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, in oratione meditaretur. Quod cùm præstitisset, statim cognouit Deũ velle mediante hac fœmina mirabilia opera sua demonstrare: nec amplius dubitans an Dei spiritu ad hoc agendum impelleretur, interdictam facultatem de erigendo Monasterio denuo concessit.

Præcepit tunc Deus Virgini Theresiæ, vt pro obtinendis Pontificijs litteris Romam mitteret, simul etiam modum & viam aperiens, quo istud peragendum erat: addens vt cùm Episcopo Abulensi pro tunc communicaret, eique optenta facultate à Summo Pontifice, præstaret obedientiam, quia ita ad felicem rei exitum oportebat.

Impetratæ sunt ergo litteræ Pontificiæ per idem medium, quod Deus vni reuelauerat, cùm antea non potuissent alijs vijs obtineri. Et incepit Dei serua non sine magno labore opus aggredi, clam domum mercari, &

in Mo-

in Monasterij formam coaptare.

Cui cùm angusta valde domus videretur, aliamque coëmere cogitasset, cùm tamen illi pecuniæ ad emptionem non suppeterent: Dominus illam increpans, ait, *O generis humani cupiditas, etiam terram tibi defuturam putas? quoties ego sub dio domum non habui, quo diuerterem? Iam dixi tibi, vt ingrediaris prout poteris.* Quibus commota verbis, pauperem & angustam domum parare cœpit.

Tunc etiam accidit, vt die quadam Sanctæ Claræ dicata, hæc eadem Sancta prædictæ Theresiæ appareret, quæ illam ad institutum prosequendum excitauit, suum illi auxilium promittens. Iisdem etiam diebus, cùm Missæ Sacrificio interesset, Deiparam a dextris, Diuum Ioseph a sinistris conspexit, qui illam veste miro candore & splendore fulgente ornabant, quo signo virginem Theresiam iam ab omni peccati labe puram esse declarabatur. Mox Deipara illius manus apprehendens, gratissimum sibi esse dixit, quod in honorem sui sponsi Ioseph Monasterium illud extrueret, in quo Deo, & vtrisque debitus famulatus præstandus erat. Denique Beatissima Virgo, & S. Ioseph protectionem suam illi polliciti sunt, in cuius fidem pulcherrimo monili aureo illam exornârunt.

19. Cumque prædicta Theresia didicisset à primitiua regula paupertatem communem, & priuatam præscribi, statuit suum Monasterium absque annuis reditibus instituere.

Sed cùm ab hoc Consilio Confessarius discreparet, ad

Christum confugit, à quo pręceptum est ei, vt cum paupertate Monasterium fundaret, subdens hanc esse suam & Patris voluntatem: promittens quòd nihil eis esset defuturum: & prætereà Confessarij etiam animus à Deo est immutatus, vt in hac re Dei seruæ assęntiretur.

Cùm igitur clausura (prout fieri poterat) accommodata jam esset, prædicta Virgo Theresia quatuor selegit Virgines inopes, sed bona indole & spiritu præditas: Harum prima fuit Antonia à Spiritu Sancto, 2. Maria à Cruce, 3. Vrsula à Sanctis, 4. Maria à Ioseph.

Has cùm religionis habitu induisset, omnes cum prædicta Theresia obedientiam Episcopo reddiderunt, juxta litteras Pontificias, & die vigesima quarta Augusti, quæ est dicata Beato Bartholomeo Apostolo, collocatum est in Templo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: sicque primum Monasterium sub Sancti Ioseph inuocatione (sicut Dominus prædixerat) fundatum, & dedicatum est.

20. Vix Sanctissimi Sacramenti collocatione peracta, Dei serua summis molestijs exagitata fuit, nam pręter conflictum, quo Dæmon illam aggressus est, illi persuadere tentans, errorem in re facta commisisse: tanta animi commotione illam insectatus est, vt cogitationem inde diuertere non posset.

Quibus cùm serua Dei viriliter reluctaretur, pręmij loco tantam illi Dominus tranquillitatem, & ęquitatem animi concessit, vt numquam animi pace aut serenitate in posterum caruerit.

Cùm

Cùm verò ex præteritis molestijs parumper respirare optaret, non licuit: statim enim ac res ista in Ciuitate ac Monasterio Incarnationis Monialium mitigatarum diuulgata fuit, omnes non aliter in illam conspirârunt, ac si vniuersa Ciuitas & Monasterium noui operis occasione, solo æquanda forent.

Quocirca confestim Monasterij Prælata illam vocatum misit, cui Dei serua obtemperauit, nihil sollicita de nouitijs, quas ea ipsa die in religionem admiserat, eas sub protectione Dei relinquens, magna in Deo fiducia.

Magnaque igitur alacritate profecta est, sperans se in carcerem detrudendam: quod ipsi solatio potius, quàm dolori fuisset, vt frequentius soli Deo vacare posset, & animum à laboribus antea toleratis aliquantulum recreare.

21. Cumq; Virgo ad suum Monasterium Incarnationis peruenisset, in judicium coram Prouinciali vocata fuit. In quo illi obiectum est, quòd populũ offenderet, quòd rebus innouandis studeret, vt sanctior existimaretur, & alia huiusmodi. Quæ cùm alacriter sustinuisset, nullam tantis calumnijs excusationem præbens, à Prouinciali requisita, facti rationem & finem illi exposuit: qui dictis eius acquiescens, se facultatem ad nouum conuentum ingrediendi daturum promisit, statim ac populi & Monasterij commotio sedaretur.

22. Et tanta fuit commotio in Ciuitate excitata, vt nihil aliud in illa, nisi de auferẽdo nouo Monasterio agetur: quasi maximum esset vrbi nocumentum allaturũ.

Quare Magistratus cum Ciuitatis Rectoribus & aliquot Religiosis, qui inter cœteros doctrina & scientia præstabant, in vnum conuenerunt, ac si Ciuitati graue aliquod immineret periculum: omnesque vnanimiter statuerunt, vt Monasterium vltra non promoueretur, & (Sanctissimo Sacramento ablato) tota fundatio euerteretur. Quod procul dubio illico perpetrassent, nisi P. M. Bañez Cathedraticus, qui ibi aderat, obstitisset, dicens, negociũ istud ad Episcopum potius, quàm ad Ciuitatem spectare; sicque res suspensa fuit: non tamen ob id calumniæ, aut ira populi, immo & aliquorum religiosorum in prædictam virginem cohibita fuit: nam etiam in pulpitis illi non parcebant: exagitabatur ex alia parte a Monialibus sui Conuentus, & ipsius Prælata illi præcepit, ne quid amplius de nouo Monasterio erecto curaret.

His verò & alijs contrarijs numquam animo fracta est, nec fiduciam quam in Deo collocauerat, amisit: licet aliquando (absente Domino) trepidaret, cui Deus, vt illam solaretur, dixit, *Ignoras me potentem esse? quid trepidas?* & securam illam reddidit, numquam fore euertendum opus quod cœpisset.

23. Et cùm in ea fluctuatione res essent, vt ob contradictiones omnino nouum Monasterium destruendum videretur, prouidit Dominus, vt hæ tempestates temporis decursu sedarentur. Nam cùm ciues cœlesti luce illustrasset, factum est, vt murmurationes in deuotionem conuerterentur, & serua Dei post sex menses (obtenta

sui

fui Prouincialis licentia) ad fundationem nouam reuersa eſt, omneſque cognouerunt, & experti ſunt Monaſterij conſtructionem in Dei gloriam, honorem, & vtilitatem Ciuitatis cedere.

24. Statim verò ac Dei famula ad nouum Monaſterium peruenit, & Templum ingreſſa eſt, vt oraret, extaſim patiens, Chriſtum vidit magno illam amore recipientem, eique coronam imponentem, quaſi præmium magni laboris, & operis egregij, quod pro eius matre patrauerat.

Alia quoque die, cùm in choro eſſet, apparuit ei Deipara, magna gloria, pallioque candido amicta, quo ipſam & ſuas Moniales protegentem vidit, fuitque ei reuelatum, ſublimem admodum gloriæ gradum daturum eſſe Deum omnibus Religioſis illius domus.

25. Itaque profeſſæ ſunt primitiuæ regulæ obſeruantiam, quam Albertus Patriarcha tradidit Religioſis Eremitis Montis Carmeli, cum declarationibus & limitationibus Innocentij Papæ quarti. Cuius præcipuus ſcopus eſt, continua oratio, & in lege Domini meditatio, in qua eſus carnium prohibetur, niſi infirmitatis remedio ſumantur, ieiunium ſimiliter præcipitur ab Exaltione Sanctæ Crucis, vſque ad Paſcha Reſurrectionis. Aſſiduus in cella receſſus, niſi juſtis occaſionibus occupentur, ſilentium jubetur à Completorio vſque ad primam ſequentis diei: labor manuum, & alia multa rigoris & pœnitentiæ opera, & ſtrictiſſima paupertas, tā in particulari, quàm in communi ſtabilitur.

Quibus prædicta Virgo alia arctiora statuta mira prudentia adiunxit, præcipiens vt Monialium vestes essent ex rudi, & vili panno, tunica lanea, lectus ex sacco paleis referto, pedes sine calceis (quare discalceatæ sunt appellatæ) verberationes singulis hebdomadis fierent, locutoria nisi ex vrgentissima causa non aperirentur: & tunc non possent loqui nisi velum ante faciem habentes: & quod pluris est, multa alia mirabilia statuit ad orationem, & cum Deo communicationem spectantia.

Quas constitutiones sanciuit auctoritate litterarum Pij quarti, datarum die decima septima Iulij, 1565. quæ postea approbatæ fuerunt à Reuerendissimo Cæsare Spaciano Episcopo Nouarensi, Nuntio Apostolico Sixti quinti, & postea ab ipso Sixto quinto.

26. Et quamuis finis Virginis in his principijs esset maiorem quærere solitudinem, maiori pœnitentia peccata delere, & se in angulo aliquo abdere, vbi ipsa, & eius sociæ assiduè diuinis laudibus & orationi vacarent, & simul etiam hac ordinis instauratione seruitium Beatæ Mariæ virgini præstarent: tamen cùm eo tempore, quo agebat de Monasterio erigendo, audiret, quantum hæreses in Gallia, Germania, & alijs Regionibus grassarentur, magno animi dolore affecta, ingentique desiderio Ecclesiam Dei juuandi (cuius zelo vehementer angebatur) orationes omnes, & alias Religionis asperitates, tamquam ad præcipuum finem sui Monasterij direxit, vt Deum pro hæreticorum

rum

rum conuerſione, pro fidei propagatione, & ſimul etiam pro Concionatoribus, qui ſe in animarum conuerſionem exercerent, precarentur. Et ita cum oratione hic animarum zelus fuit prima vocatio, quam habuit in hac noua ſua ordinis reformatione.

Quomodo Dei ſerua alia Monaſteria fundare tentârit.

27. PRæter Monaſterium jam erectum alia erigere non cogitabat, ſed cùm poſt quinquennium à primi Monaſterij erectione, eam viſitaſſet quidam Franciſcanæ familiæ Pater, nomine Alphonſus Maldonatus, qui ab India Occidentali reuertebatur, & dictę Virgini referens animarum multitudinem, quæ ob Miniſtrorum defectum in illis regionibus peribant, graui & ingenti fuit dolore percuſſa. Quare poſtquam illum fuit alloquuta, ad Eremiticam cellulam, quam in horto conſtruxerat, ſtatim ſe contulit: ibique magnis ſuſpirijs & lacrymis creatorem animarum cœpit deprecari, vt medium aliquod oſtenderet, quo ipſa poſſet aliquam illi lucrari animam, cùm tot eſſent illæ, quæ Dæmonis poteſtati ſubijciebantur. Qua in oratione cùm aliquot dies perſeueraſſet, apparuit illi Chriſtus Redemptor noſter, eamq́ue volens ſolari dixit. *Expecta parumper filia, & magna videbis.*

In quem finem prędicta verba à Domino eſſent prolata, clarè & in particulari nõ percepit, tamẽ magna cõſolatione repleta, ingentẽ concepit fiduciã, ſuã orationẽ

 fuiſſe

fuisse exauditam: eique Deum auxiliaturum, nam (vt ex euentibus deinde cognouit) verborum sensus erat, quòd eam Dominus eligere intendebat, vt nouam reformationem instituerct, vbi multæ animæ saluarentur, & prætcrea medium esset, quo alij salutem consequerentur.

18 Cumque paulò pòst P. M. Baptista Rubæus Generalis ordinis Carmelitarum Abulam peruenisset, ac Dei serua aliquantulum pertimesceret, ne Monasterium (absque sua facultate erectum) vellet euertere, ipsa fidenter ab eo petijt, vt eius Conuentum inuiseret: cui magna claritate, & sinceritate suæ animę omnes aperiens sinus, & de oratione sua, & spiritu, & de Monasterio, & toto eo quod peregerat, fecit certiorem. Ipse verò cognoscens in ea spiritum Dei adesse, virginis sanctitatem veneratus est, & cùm in ea adeo ardentes faces perspiceret, vt Deo animas lucraretur, tantum abest, vt euerterit quod factum fuerat, vt illi præceperit, vt tot Monasteria erigeret, quot erant capilli, quos gerebat in capite. Et huius rei gratia litteras patentes admodum fauorabiles illi tribuit, hac tamē cōditione, vt deinceps Conuentus erigendi ordini subiecti forent, à quo etiam Patre Dei serua litteras patentes anxiè postulauit, vt posset Religiosorum Conuentus fundare: quas tunc noluit concedere.

De erectione Monasterij in oppido Medinæ del Campo.

29. Statim ac prædicta Theresia litteras patentes à Gene-

Generali recepit, cogitauit de erigendo Monasterio in oppido Medinæ del Campo. Quod vt exequeretur, præmisit Patrem Iulianũ de Auila, qui & facultatem ab Abbate (qui tunc vices gerebat Episcopi) impetraret, & domum locatam susciperet. Quam cùm Abbas & si difficulter concessisset, die 13. Augusti, 1567. Abula egressa est prædicta Virgo cum suis socijs, tota murmurante & irridente Ciuitate, stultumque existimante opus illud, quod ipsa aggrediebatur, & eam quasi insanam reputãte. Ipsa verò Medinam peruenit intempesta fere nocte, paulò ante diem Assumptionis B. Virginis: & eademmet nocte, non sine magno eius labore, parata est domus, & vix transacto quatuor horarum spatio ante ortum solis, fundationem hanc concluserat: & ipsa Assumptionis die collocatum est Sanctissimum Sacramentum, & Monasterium sub inuocatione S. Ioseph fundatum, & dedicatum est.

De erectione primi Monasterij Religiosorum in oppido Duruelo.

30. Cùm verò prædicta virgo animarum zelo æstuaret, magno tenebatur desiderio, aliqua Religiosorum Reformatorum fundandi Monasteria: quòd cùm summis precibus à Generali postulasset, tandem ab illo consequuta fuit facultatem erigendi Monasteria Fratrum Carmelitarum discalceatorum, & cùm ipsa diligenter conquireret Religiosos eiusdem ordinis, qui primitiuam regulam vellent seruare, tandem in oppido Medinę

del Campo Priorem illius Conuentus, qui tunc erat P. M. Fr. Antonius de Heredia, alloquuta est, & alium Patrem ſpiritu & Sanctitate præſtantem Ioannen ſcilicet à Cruce, quos ad primitiuæ regulæ reſtaurandam obſeruantiam hortata fuit.

Quod cùm ipſi facere decreuiſſent, prædicta Virgo illis domum quæſiuit in oppido quodam Abulen̄ Diœceſis nuncupato Duruelo: vbi prędicti Patres, vili rudiq́ue panno ſe induentes diſcalceatis pedibus, arctiſſimiſq́ue alijs obſeruantijs ligati, primitiuam regulam Alberti profeſſi fuerunt, cùm prius eos Dei ſerua non aliter ac Nouitiorum Magiſtra inſtituiſſet, ac varijs experimentis probaſſet, & ipſamet locum, in quo erat Monaſterium erigendum, præſens exploraſſet, & Monaſterij cellas officinaſq́ue diſpoſuiſſet, quod fundatum fuit die vigeſima octaua Menſis Nouembris, anno 1568.

De erectione tertij Monaſterij in oppido Malagonis.

31. Cumq́ue moraretur Medinæ del Campo, accerſita fuit à quadam Illuſtri fœmina ſorore Ducis Medinæ cœli, vt aliud Monaſterium conſtrueret, in quodam ſuo oppido in Diœceſi Toletana conſtituto, vulgo Malagon nuncupato; ad quod cùm perueniſſet ſerua Dei, tertium Monaſterium Monialium Diuo Ioſeph dicauit, in quo Dominica in Palmis anno 1568.

1568. Sanctiſſima Euchariſtia collocata fuit.

In huius Monaſterij fundatione apparuit illi Dominus, qui licet forma eſſet glorioſus, valde tamen ſignificanter cernebantur vulnera, quæ ob ſpineam Coronam pertulerat: ad quorum conſpectum cùm vehementer angeretur Dei ſerua, Chriſti Paſſionem memorans, illi Chriſtus dixit, ne illis vulneribus condoleret, ſed ijs quæ tunc illi infligebantur. Cùm verò illa Dominum rogaret, quodnam remedium huic malo afferre poſſet (nam ad omnia pro eius amore aggredienda, erat parata) Dominus reſpondit. Tunc non eſſe quieſcendi tempus, ſed vt his domibus conſtruendis inſtaret, aſſerens ſuas delitias futuras cum animabus, quæ eas erant inhabitaturæ, & vt omnes domus oblatas ſuſciperet, quia multæ animæ ob defectum commoditatis illi non famulabantur.

De erectione quarti Monaſterij in oppido Vallifoleti.

32. Bernardinus de Mendoza, filius Comitis de Ribadauia, magna inſtantia obtulit Dei ſeruæ domum quandam propinquam Vallifoleto, vt in illa Monaſterium extrueret, quam ipſa acceptauit: & cùm ipſa ante Monaſterij conſtructionem obiret, orante pro eius anima ſerua Dei, per reuelationem à Domino accepit, illius animæ ſalutem valde periclitatam eſſe, nec

nec fuisse damnatam, eò quòd domum illam Matri suæ dedicandam obtulisset, nec à Purgatorio, in quo detinebatur egressuram, nisi prius Missæ sacrificium in ea domo, quam obtulerat, fieret: verùm cùm serua Dei alijs occupata, Monasterij fundationem differret, vrgebat eam Dominus, illi proponens pœnas, quas defuncti anima patiebatur. Sicque Vallisoletum perrexit, & decima die Augusti Diuo Laurentio sacra, prædictum oppidum ingressa est, sacrificiumque Missæ in domo peractū fuit, prius venia à Prælato obtenta: vbi Dei serua post Eucharistiæ sumptionem in spiritu rapta, prædictum Bernardinum juxta se læto & fulgenti vultu conspexit, qui supplex ei gratias egit de eo, quod pro egressu eius à Purgatorio præstiterat, & inde ad cœlum migrauit.

De erectione quinti Monasterij in Ciuitate Toleti.

33. Cumque fama sanctitatis prædictæ Virginis, & reformationis suorum Monasteriorum per totam Hispaniam peruolaret, honesta quædam persona Toleti degens, rogata à P. Paulo Hernandez, Societatis Iesu, qui fuerat Virginis Confessarius, certam pecuniæ summam ad Monasterij sui ordinis constructionem destinauit, de quo cùm à prædicto Patre fuisset admonita, confestim migrans Toletum peruenit, die 24. Martij 1569. & quibusdam ex causis non conuenit cum eo, qui de Monasterij constructione cogitabat, quare multa incommoda perpessa, domum reperire non valens, alijsque contradi-

traditionibus agitata, fuit præcipuè afflicta, quòd Gubernator Archiepifcopi D. Gomez Tello Giron in dando licentiam admodum fe difficilem redderet: quam cùm impetrare nullis fauoribus potuiffet, illum virgo alloquuta eft, & inter alia ei grauiter & fanctè dixit, Intolerabile effe, quòd illi qui in delitijs degerent, vellent impedire pauperculas quafdam Moniales, quæ nihil aliud prętendebant, nifi cum omni rigori & claufura confilia Euangelica feruantes Deo inferuire: confiderarétque quanta Ciuitas illa poffet amittere, fi hoc non exequeretur. Denique fe huius impedimenti Domino redditurum rationem, & alia fimilia, tali fcilicet vi fpiritus & efficacia, vt ab eo ftatim licentiam impetrauerit.

Et cùm idoneam domum reperiffet, Monafterium Toleti conftruxit die 14. May eiusdem anni cum magna paupertate: nam prædictæ virgini & duabus focijs eius, duo tantum ftramenta deferuiebant, & ibi aliquas nouitias fine dote admifit, vt in alijs Monafterijs facere confueuerat.

Illic cùm Monialis quædam obiret, prædicta Therefia vidit Chriftum Redemptorem noftrum prope eius puluinar manibus expanfis illam protegentem, dixitq; virgini fe eodem modò protecturum Moniales omnes, quæ in illis Monafterijs erant morituræ.

De erectione fexti Monafterij in oppido Paftranæ.

34. Vnde cùm nuntiata effet fanctitas Virginis, &

Cœnobia quæ fundabat, Principi Rui Gomez Duci Pastranæ, & Principissæ eius Coniugi, illam accersitum miserunt, vt in oppido Pastranæ Monasterium fundaret.

Cumque illa à Domino in hac re consilium postularet, ei dixit Dominus, *Filia ne ire prætermittas: ad alia præter fundationem pergis, fer tecum regulam & constitutiones.* Statim ipsa Pastranam migrauit, in quo oppido tot difficultates in erectione Monasterij inuenit, ob conditiones, quas ab ea prædicta Principissa flagitabat, vt Dei serua videns illas perfectioni Monasterij esse parum consentaneas, nollet fundationem admittere.

Cùm tamen eius dictis Principissa acquieuisset, tandem fundatum est sextum Monasterium à serua Dei anno 1569. Mense Iunij.

De erectione alterius Monasterij religiosorum in oppido Pastranæ ob consilium prædictæ Theresiæ.

Et cùm prædictæ Virgini à Domino iussum fuisset, vt Pastranam pergeret, & secum ferret regulam & constitutiones; Madriti offendit quendam Patrem Eremitam nuncupatum Marianum à S. Benedicto (hic erat Iurisperitus, & nobili loco natus, & antea Aulicus in Curia Philippi II. Regis Hispaniarum) & alium eius socium qui Romam pergebant, vt aliqua ad Dei seruitium spectantia peragerent: Patrem ergo Marianum est allocuta Dei serua, & primitiuam illi regulam ostēdit, quam ipse

Virginis perfuafione fequi & obferuare decreuit, non abfque magna fui admiratione, videns fe tam cito à fœmina fuiffe immutatum.

Ambo igitur ftatuerunt, vt prædictus Pater Marianus Monafterium, Fratrum Difcalceatorum in oppido Paftranæ conftrueret, vbi Princeps Ruy Gomez ob hanc caufam illis locum aptiffimum donauerat.

Et vt res facilius præftaretur, ferua Dei ftatim Paftranam profecta fuit, quo pòft aliquot dies prædictus Pater Marianus peruenit, & ipfa interim accerfitum mifit P. Fratrem Antonium à Iefu, qui jam primum Conuentum Durueli extructum, tranftulerat in oppidum Manzere nuncupatum.

Qui cùm veniffet, fauore & Concilio Dei feruæ fundatum eft hoc Monafterium, quod poftea fuit vnum ex præcipuis totius ordinis, & deinde fauore & protectione eius alia plura fundata funt.

De erectione feptimi Monafterij in Ciuitate Salmantica.

36. Et inde Abulam rediens, quidam Pater Societatis Iefu, nomine Martinus Guttierez, Rector Collegij Salmanticencis & eius Confeffarius, eam eft hortatus, vt Salmanticæ Conuentum erigeret. Quod prædicta virgo in Dei gloriam redundare cognoffens, Abula difcedens, vbi tunc commorabatur, peruenit Salmanticam die vigiliæ omnium Sanctorum anno 1569.

Vbi cùm omnibus ignota effet, in quodã hofpitio diuerfata eft, & cõfeftim domũ locatã fufcipiẽs, impetrata

venia ab Ordinario per ſupradictum Patrem Societatis Ieſu, poſtridie, qui fuit dies omnium Sanctorum, primum miſſæ ſacrificium celebratum eſt, ſicque fundatum fuit à ſerua Dei ſeptimum Monaſterium, ſub inuocatione Sancti Ioſeph, cum tanta paupertate, vt nihil haberent in quo poſſent cubare, præter paucas paleas, & duo ſtragula mutuo accepta à Rectore Societatis Ieſu.

De erectione octaui Monaſterij in oppido Albæ de Tormes.

37. In oppido Albæ conſtituto in Diœceſi Salmanticenſi Thereſia Laiz coniunx nobilis cuiuſdam famuli Ducis Albę, cùm viſionem habuiſſet, in qua illi Sanctus Andreas apparuit, monens vt iſtius Sanctæ Religionis Monaſterium extrueret, ſciens quòd Dei ſerua Salmanticæ degeret, illam rogatum miſit, vt Albam peteret: quò cùm perueniſſet, poſt ſuperatas aliquas difficultates, quæ tunc ſeſe obtulerunt, erexit octauum Monaſterium ſub nomine Annunciationis B. Virginis Marię die 25. Ianuarij 1571.

38. Cumque eſſet Viſitator Apoſtolicus totius ordinis Carmelitarum P. M. F. Petrus Hernandez Dominicanæ familiæ, videretque Monaſterium Incarnationis Abulæ conſtitutum (in quo Dei ſerua vixerat antequā ad fundationes perrexiſſet) valde indigens, Prælata quæ tum ſpiritualibus, tum temporalibus rebus prouideret, elegit Prioriſſam illius Conuentus prædictam Thereſiam à Ieſu.

Qua

Qua electione admodum Dei famula cùm angeretur, tum quòd ab huiufmodi dignitatibus abhorreret, tum etiàm quòd illi videretur ob illam occupationem Monafteriorum erectiones, quibus incumbebat, effe intermittendas, & filias deferendas, quas tantopere diligebat: Accidit vt die quadam Deo commendans fratrem fuum, cuius animæ falus periclitabatur, cum Chrifto fic ageret, *fi ego mi Domine, fratrem veftrum viderem in tali periculo conftitutum, quid non facerem, vt illi opem ferrem?* Cui dixit Chriftus: *filia, filia, fratres mei funt iftæ Moniales Incarnationis, & tamen cunctaris: forti ergo animo fis, & confidera me hoc velle, nec effe adeo difficile vt tibi videtur. Vnde putas quòd aliæ domus fint aliquid amiffuræ, lucraturæ potius funt: ne refiftas, magna eft mea potentia.*

Quibus verbis conuicta virgo Therefia, voluntati Dei fe fubiecit, & officium acceptare ftatuit.

Verum cùm hęc electio per Vifitatorē facta, votis monialium non fuiffet peracta, omnes contradicere ftatuerunt, cùm Dei ferua vnà cum Prouinciali ad Monafterium perueniffet, eam nolebant tali muneri præficere: & dum multas ei iniurias palam obijcerent, nil aliud ipfa refpondebat, quàm rem ita fe habere, ficut ipfæ afferebant: & cùm tandem inftante Prouinciali magna cum renitentia illam admififfent, factum eft vt paulò pòft eas fuæ vitę exemplo, & prudentia, ita fibi deuinxerit, vt odium in amorem conuerfum fit: & cùm pro illarum animarum profectu Deum rogaret, ei Dominus promifit in fpiritu profecturas, & ita euenit: nam

 exco

ex eo tempore plures notabiles vitę mutationes in multis visæ sunt, & in omnibus generalis quædam reformatio, & cum Deo communicatio, quæ huc vsque perdurauit, & in rebus temporalibus notabile etiam augmentum repertum est.

Et quòd prædicta Virgo magna sua prudentia, & spiritu, totum illum Conuentum, in quo tot erant Moniales, vt centesimum numerum excederent, ad statum magnæ perfectionis & religionis redegit: vbi tantus fuit amor, quo illam prosequutæ sunt, vt officij sui tempore absoluto iterum illā elegerint, & litem intulerint, vt à Consilio Regio hoc obtinerent.

De erectione noni Monasterij in Ciuitate Segobiæ.

Et antequam Dei serua officium Priorissæ absolueret, in prædicto Conuentu Incarnationis, Moniales quæ in Monasterio extructo Salmanticæ degebant, postulauerunt facultatem à Visitatore Apostolico, vt posset Salmanticam petere, sperantes quòd eius presentia multæ essent difficultates dissoluendæ, quas patiebantur in quærenda & emenda domo Conuentui oportuna.

Cùm igitur Virgo Theresia Salmanticæ moraretur, illi Dominus iniunxit, vt Segobiam pergeret, ad construendum Monasterium: cui cùm videretur, quòd nullo pacto Visitator Apostolicus veniam esset concessurus, ei dixit Dominus; se illam impetraturam, si postularet, vt postea euenit.

Segobiam

Segobiam peruenit die 18. Martij, anno 1578. obtenta facultate ab Episcopo construendi Monasterium, licet illam non in scriptis tradiderit: & postridie qui fuit dies Sancti Ioseph, primum Missæ sacrificium celebratum est, & Sanctissimum Sacramentum collocatum fuit: & cùm Episcopus absuisset, Vicarius Generalis (eo quòd facultatem in scriptis traditam non haberet) templum euerti, & Eucharistiam consumi, insuper & in carcerem trudi, qui collocauerat, præcepit; Permultæ aliæ graues difficultates huic Dei seruæ sese obtulerunt, quas ipsa sua patientia composuit & superauit.

Cùm illinc Abulam reuerteretur (vbi erat Priorissa) in itinere ingressa est, orationis causa, sacellum quoddam Conuentus Sanctæ Crucis, in quo D. Dominicus, dum in humanis ageret, magnam egit pœnitentiam, quam comitabatur Prior illius Conuentus, & P. M. F. Didacus de Ianguas eius Confessarius, & statim ac genua flexit vt oraret, apparuit illi Beatus Dominicus magno splendore & gloria ornatus, qui inter alios fauores, quos illi concessit, suum illi patrocinium & auxilium pollicitus est, in hoc nouę reformationis negotio. Cùm in eodem loco Dei famula confessionem faceret, à suis sinistris Beatum Dominicum astantem conspexit, & cùm ad sacram Eucharistiam sumendam accessisset, Christum prope ipsum vidit, qui statim euanescens, illi dixit, *Lætare cum meo amico*, Deinde secum remanens Diuus Dominicus, Virgini dixit,

magnum

magnum percepi gaudium, quòd tu ad hoc sacellum accesseris: & illi narrauit conflictus quos ibi cum Dæmone pertulerat, & fauores, quos à Deo in eo loco fuerat consequutus.

De erectione decimi Monasterij in oppido Beas.

41. In oppido Beas D. Catherina Godinez & Sandoual nobili loco nata, cùm 14. annum ageret, diuina luce perfusa extraordinario & miraculoso quodam modo, decreuit relicto mundo religiosam vitam profiteri, castitatis votum emittens: in quam cùm Deus multa conferret beneficia, ipsaq; nocte quadam cubitum iret, auida inueniendi religionem omnium perfectissimam, in qua Deo seruiret, in somnis vidit multas moniales eodem indutas habitu, quem gestabat Dei serua, quarum quę videbatur Priorissa, manibus eius apprehensis ei dixit, *Filia hic te volo, & illi ostendit* regulā, & cōstitutiones. Experrecta gaudens & læta, aliqua scripsit quę in regula perlegerat: cùm tamen de hac religione sciscitaretur à multis, nullus eam potuit edocere. Tandem cùm visionem habitam cuidam Patri Societatis Iesu narraret, & ea quę de regula scripserat ostenderet, ei dixit, quòd illæ moniales, quas viderat, erant nouæ reformationes, quàm tunc virgo Theresia à Iesu instituebat.

Quibus cognitis decreuit hæc Domina (cùm prius eam Dominus à grauissimis liberasset infirmitatibus, serio curare, vt Dei serua Beas pergeret ad constructionem Monasterij. Et cùm

Et cùm multæ essent difficultates in consequenda licentia, ipsamet Domina in Curia Regis Philippi II. illam curauit, qua obtenta Dei serua Beas perrexit. Cùm autem in itinere à via aberrassent, & currus quo vehebatur Virgo, cum eius socijs præcipitio collidendus esset, ipsa cum socijs orante, illis apparuit B. Ioseph, qui eas à periculo eripuit, & rectam viam edocuit. Tandem longo pòst itinere peracto, Beas peruenerunt, ipsa die B. Mathiæ Apostoli dicata anno 1574. & primum Missæ sacrificium celebratum est, sicque decimum Monasterium sub inuocatione D. Ioseph fundatum est à serua Dei, & dedicatum fuit.

De erectione vndecimi Monasterij in Ciuitate Ispalensi.

42. Cùm verò Dei serua diuinitus per reuelationem accepisset, vt Madritum pergeret, ad extruendum sui ordinis Monasterium, eiusque Prælatus, licet reuelationem cognouisset, ei precepisset, vt Hispalim potius pergeret, absque vlla resistentia obtemperauit. Cui cùm Prælatus dixisset, cur cùm à Deo accepisset, vt Madritum pergeret, Hispalim tenderet? Dei serua respondit, se in reuelationibus errare quidem posse, non tamen in Superiorum obedientia, quod factum Dominus approbauit.

Hispalim peruenit die Sanctissimæ Trinitatis, anno 1574. cùm in itinere magnis febribus laborasset, aliosque labores perpessa fuisset.

Magna fuit difficultas in obtinenda licentia ab Archiepiſcopo, quem tandem prædicta virgo tanta efficacia eſt alloquuta, vt illam conceſſerit.

In prædicta vrbe adeo opulenta, Dei ſerua cum eius ſocijs multorum rerum inopiam pertulit, ita vt nihil illis ſuppeteret in quo cubarent, vel quod comederent. Præter hæc multa falſa teſtimonia contra eam, & eius ſocias aliqui æmuli ſparſerunt, & S. Inquiſitionis officio multa eis imponendo falſa accuſatæ ſunt, & per Ciuitatem magnus rumor ſparſus eſt, quòd omnes eſſent in carcerem Inquiſitionis detrudendæ: verùm cùm ſerua Dei verſaretur in his anguſtijs, quas patienter & iucundè ſuſtinebat, illi dixit Dominus, ne ex eo angeretur, quia qui veritatem obſcurare nitebantur, finem ſuum non erant conſequuturi: quod ita euenit, nam ſtatim Inquiſitores rei veritatem cognoſcentes, accuſatorem, qui eas denunciauerat, obiurgauerunt: & ex hoc Dei ſerua magis cognita & æſtimata ab omnibus fuit.

De erectione duodecimi Monaſterij in oppido Carauacæ.

43. Cùm verò in oppido Carauacæ tres Virgines nobili loco natæ ſtatuiſſent, relicta mundi vanitate, Deo ſe dicare, audientes perfectionē qua prædicta Thereſia ſua Monaſteria inſtituerat, eam rogatum miſerunt, vt vellet in illo oppido Monaſteriū ſui ordinis erigere. Dei ſerua edocta à perſonis fidedignis, quas illuc exploratum miſerat, quænam & quales eſſent, quæ Religioſam

giofam vitam profiteri volebant, alijsque cognitis circunftantijs ad Monafterij conftructionem requifitis, cùm ipfamet ad fundationem ire non valeret (Hifpali enim alijs grauioribus negotijs detinebatur) fociam fuã ad hoc mifit, nomine Annam à S. Alberto, quæ tunc temporis Hifpali morabatur: Monafterium verò in prędicto oppido erectum, dicatũ fuit Diuo Iofeph an. 1576.

44. Cùm verò ferua Dei adhuc Hifpali maneret, Dæmon inuidens animarum profectui, qui exhac Monafteriorum cõftructione tam fratrum, quàm Monialium, oriebatur, mille figmenta excogitauit, vt honori Dei feruæ, & filiarum eius, aliquam notam inureret, excitans aduerfus illam, teftes magni momenti, ignominia illam notantes, & Patres Difcalceatos apud eorum Generalem grauiter accufantes; Generalis autem amorem, quo feruam Dei profequebatur, in odium conuertens, ei ftatim præcepit, vt Hifpali egrederetur, nec amplius Monafterium aliquod erigeret, feque in vnum extructorum abderet, nunquam inde egreffura.

Cùm tali fe infamia notatam Dei ferua videret, maximum ex hoc gaudium, & lætitiam percepit: ita vt in oftenfionem fui gaudij voluiffet idem agere, quod egit Dauid, dum ante arcam faltaret. Cõfiderabat enim, fi hac illam mercede homines remunerabãt, fe gratum aliquid Deo feciffe: Statim ergo Hifpali egrediens admodum læta, fe in Monafterium, quod Toleti fundauerat, inclufit.

45. Quãuis autẽ Dei ferua fe in Monaft.º illo inclufiffet nõ ceffauerũt tamen perfequutiones: nã hinc Generalis,

Reuerendissimus Nuncius Sega (qui recenter in Hispaniam aduenerat, nec prędictam Dei seruam cognoscebat) egerunt de noua reformatione euertenda: prędictus ergo Nuntius in carcerem aliquos fratres discalceatos detrusit, aliosque varijs afflictionibus, & pœnis est insequutus.

Adeoque creuit persequutio, vt tota religio omnino euertenda videretur. Tunc autem cùm omnes omnia desperata crederent, Virgo maiorem in Deo fiduciam habebat, & tunc Dominus dixit ei, euenturum suæ religioni, quod accidit filijs Israel, cùm transirent per mare rubrum, aduersarijs deuictis. Et iterum idem Dominus dixit illi: *Optant isti nouam Reformationem euertere, sed oppositum omnino eueniet.* Hoc persequutionis tempore, quæ quadriennium ferè perdurauit, Theresia Virgo, in quam omnia inimicorum tela, tanquã in scopum, tendebant, contradictoribus se præsertim opposuit, omniaque tandem interuentu Philippi II. Hispaniarum Regis sedata sunt: & illa, veritate cognita, Monasteriorum fundationes prosecuta est, prout ante fecerat.

De erectione decimitertij Monasterij in oppido Villæ nouæ de la Xara.

46. Igitur in oppido Villæ nouæ de la Xara, nouem mulieres Dei seruæ clausæ in quadam domo, magna totius populi ędificatione degentes, rogauerunt Virginem, vt in illa domo Monasterium construere vellet,

& quamuis

& quamuis prius fuisset anceps, & dubia, quidnam in hoc ageret, propter aliquas difficultates, quæ sese illi obtulerant, præsertim quia illi videbatur oppidum valde inops, & quod consequenter multarum rerum egestatem essent moniales passuræ: ipsa nihilominus negotium Deo commendauit: qui illi præcepit, vt ad illius Monasterij constructionem tenderet, & illam obiurgans dixit: Consideraret quibusnam thesauris illud peregisset, quod illucusque in noua reformatione patratum erat: addiditque futurum esse, vt in eo Monasterio, gratus valde famulatus ei redderetur.

Quibus verbis erecta Dei serua, aduersa valetudine qua premebatur, non obstante, egressa est oppido Malagon, cumque præteriens offendisset Conuentum nouæ Reformationis Discalceatorum, quem extruxerat quædam Eremi habitatrix nobilissima & Sanctissima Fœmina nomine Catherina de Cardona, quæ jam obierat: templumque ingressa esset, vt orationi vacaret, apparuit illi serua Dei Catherina multis Angelis comitata, magnaque resplendens gloria, quæ illi addidit animos, ad has fundationes prosequendas, suumque auxilium illi pollicita fuit.

Peruenit ergo ad oppidum Villę nouę de la Xara die 21. Februarij anno 1580. & hoc ipso die collocatum est Sanctissimum Sacramentum in illa domo, & religionis habitum tribuit illis nouem Dei seruis, eisque Dei nomine promisit, nihil illis vnquam defuturum, dummodo ipsæ rectè se gererent: quod miraculosè adimple-

tum est, vt patuit ex aliquibus euentibus, qui in eo Monasterio contigerunt.

De erectione decimiquarti Monasterij in Ciuitate Palentiæ.

47. Cumque Dei serua ab oppido Villæ nouæ de la Xara Vallisoletum petijsset, D. Aluarus Mendoza tunc Episcopus Palentiæ, ab ea postulauit, vt in illa vrbe Monasterium extrueret, cùm ad simile tempus vocata fuisset à nonnullis in Ciuitate Burgensi.

Cùm verò dubia & anceps Dei serua existeret, an istas fundationes admittere deberet, eò quòd vocaretur ad Ciuitates inopes, & Moniales viuere deberent ex eleemosinis erogatis: quadam die hoc Deo commendans, hæc à Deo accepit. *Quid times, quando aliquid tibi defuit? Idem sum qui fui, ne has fundationes peragere omittas*, & ita Palentiam petijt, quo peruenit ipsa die Sanctorum Innocentium anno 1580. & postridie collocatum est in templo Sanctissimum Sacramentum, & locus nomine Sancti Ioseph appellatus est, sicque fundatum fuit à Dei serua 14. Monasterium.

De erectione decimiquinti Monasterij in Ciuitate Soriæ.

48. Cùm autem Dei serua Palentiæ moraretur, Episcopus Oxomensis, qui sacras eius confessiones Toleti audierat (vt qui Sanctitatem, & fructum, quem eius Monasteria ferebant, optimè cognita haberet) egit cùm

D. Bea-

D. Beatrice à Veamonte Domina nobiliſſima, vt ibi fundaret Conuentum Monialium: quod opus ſtatim Dei ſerua aggredi decreuit: atque Soriam peruenit 13. Iunij 1580. locuſque ſub nomine Trinitatis dedicatus eſt.

De erectione decimiſexti Monaſterij in Ciuitate Granatæ.

49. Cùm verò Dei ſerua ad proprium Conuentum Albulæ conſtitutum reuerteretur: accerſita fuit, vt Granatam peteret, ob Monaſterij conſtructionem. Cùm verò detineretur alijs negotijs, ad ſuorum Monaſteriorum gubernationem ſpectantibus, illuc miſit Annam à Ieſu Prioriſſam oppidi Beas, iuſſitque ei dicere, ſe ad fundationem non pergere, quia Deus illi alia agere præcipiebat: ſeque certò admodum ſcire, ſic omnia optimè peragenda fore, Deumque velle, vt opus hoc ipſa Anna præſtaret.

Quibus cognitis prædicta Anna à Ieſu Granatam petijt, & licet multæ ſeſe offerrent difficultates, fundauit tamen Conuentum Granatæ anno 1581.

De erectione decimiſeptimi Monaſterij in Ciuitate Burgenſi.

50. Interim cùm quædã Domina Ciuitatis Burgorũ, inſtaret apud Dei ſeruam, vt illic quoque Monaſterium conſtrueret, eique videretur, quòd propter aduerſam valetudinẽ iter facere non poſſet, eam Dominus ſic allocuutus eſt: *Dæmon totis viribus nititur, vt illã fundationẽ impediat.*

Vrge tu

Vrge tu meo nomine, vt illa peragatur, nec tu ipsa omittas pergere: nam magni emolumenti erit. Quibus verbis permota, Abula egressa est, & cùm iter esset admodum periculosum ob imbrium copiam, dubitanti vtrum Ciuitate Palentiæ egrederetur, dixit Dominus, *potes quidem, ne timeas, ego vobiscum ero*; à Deo igitur in itinere à multis periculis liberatæ, tam ipsa, quàm eius socię fuerunt.

Cùm Burgos peruenisset, magnas difficultates passa est, pro impetratione licentiæ ab Archiepiscopo: nec nisi pòst sextum mensem illam consequi potuit; quo tempore multis laboribus, & incommoditatibus oppressa, permansit in quodam hospitali cum suis socijs.

Tandem licentia obtenta, fundatum est à serua Dei decimum septimum Monasterium, sub inuocatione Sancti Ioseph die 19. Aprilis, 1582.

Quomodo opera Dei seruæ alia Monasteria Religiosorum erecta sint.

51. Non solùm verò prędicta virgo hæc decem & septem Monasteria erexit ante suam mortem, verùm etiam eius consilio, auxilio, & fauore, & vbi opus erat, pręsentia, erecta sunt quindecim alia Fratrum Discalceatorum, scilicet Durueli, Mancaræ, Pastranę, Hispali, Almodarear, Peñuelę, Biatiæ, Granatę, Caluarij, Salmanticę, Vallisoleti, Abadiæ, Compluti, Rodæ, & Altomiræ.

Insuper Dei serua Superiorum auctoritate, gubernabat omnia Monasteria suarum Monialium, ac si ipsarum esset

esset Prouincialis, & dirigebat conuentus Religiosorum sua prudentia & consilio, vt vera ipsorum mater, sicque sub eius patrocinio & tutela, vsque ad eius mortem, permanserunt. Et ob hanc causam dicta Theresia à Iesu, iusto & debito titulo vulgo est habita, & nominata per vniuersum orbem, fundatrix nouæ reformationis ordinis Carmelitarum Discalceatorum, tam fratrum quàm Monialium: In quantum verò hæc noua reformationis erectio cedat Ecclesiæ Dei augmentum, facile est videre, dum ad eius exemplum, in alijs Religionibus, secutas cernimus similes Discalceatorum reformationes.

De modo, quem seruabat in itinere, cùm ad istorum Monasteriorum erectiones pergeret.

52. Cùm ad istorum Monasteriorum erectiones pergeret, magna honestate & Religione, iter faciebat, aliquas socias secum ducens, assumptis etiam aliquibus Religiosis eiusdem ordinis, si suppetebant, aut aliquo alio Sacerdote comite, ferè autem semper secum ducebat P. Iulianum de Auila, qui fuit assiduus suarum peregrinationum & laborum comes, virum habitum & reputatum Sanctum, cui vt plurimum in itinere confiteri solebat.

Vehi consuêrat curru, aut rheda tecta honestè admodum; neue Moniales possent ab alijs conspici, sibi velum ante faciem demittebant; ipsa verò horas aliquot

in medio itinere orationi destinabat, datoque signo campanulæ, silentium indicebat, ieiuniaque iuxta Religionis præscripta seruabat: cùm autem in diuersorio esset, quibusdam stragulis Moniales ab aliorum consortio secludebat, ne forte ab aliquo viderentur, Ianitricem eis assignans, tantoque studio, & pietate omnia præstans, ac si in Monasterio degeret.

Sæpe cùm in diuersorio esset, illi contigit, eiusque socijs, maiorem noctis partem, in oratione mentali insumere.

Hacque ratione fere per 20. annorum spatium, totam Hispaniam peragrauit, ob istius nouæ reformationis propagationem, cùm semper infirmitatibus, doloribus, alijsque innumeris molestijs, & contradictionibus angeretur, quę omnia ipsa inuicto animo superauit.

Et ex illa Monasterij constructione, maiorem percipiebat voluptatem, in qua maiora incommoda pertulisset: quòd si forte in aliqua nihil pateretur, molestè ferebat.

Quantò autem maiori inopia Monasterium erigebatur, tantò maiori gaudio perfundebatur, solebatque dicere, quòd ad Monasterij erectionem, nulla alia re indigebat, nisi campanula & domo conducta.

Cumque tot, & tam magna, atque miranda in his fundationibus contigissent, illi præcepit Dominus, vt horum Monasteriorum fundationes perscriberet.

De libris quos dicta Thereſia conſcripſit.

54. Prædicta igitur quatuor libros conſcripſit, vnum vitę ſuæ: Alterum, qui inſcribitur Camino de perfection: tertium, qui inſcribitur, Caſtillo interior, vel potius, manſiones: & quartum, de ſuorum Monaſteriorum fundatione: omnes verò Confeſſarij iuſſu compoſuit, & aliquos ex his, particulari mandato, & reuelatione Domini.

Hos verò libros dum ſcripſit, ſæpe viſa fuit, vultu ſplendeſcere, & alia ſigna pręſentis Dei exhibere clariſſima: quippe eius ſpiritus tunc totus in Deum immerſus, feſtinanter ſcribebat, abſque vlla præuia meditatione: neque ſemel ſcriptum abolebat, aut corrigebat: verum, quod maius omnibus eſt, in hiſcelibris ſcribendis aliquando illi contingebat, vt in extaſim rapta in ſe deinde reuerſa, multa inueniret ſuis characteribus conſcripta, ſed non ſua manu.

55. Librum vitę ſuæ compoſuit, non cogitans fore, vt in lucem emitteretur, magna veritate, & ſinceritate in eo narrans omnia, quę eius animę eueniebant.

Ipſa autem adhuc in humanis agente, viſus eſt hic liber, ſiue vitę ſuæ relatio, à nonnullis ſuis Confeſſarijs: videlicet à Patre Magiſtro Bartholomeo de Medina, à F. Magiſtro Dominico Bañez, Cathedraticis primarijs ſcholæ Theologicæ Salmanticencis, à P. M. Didaco

& Catholica,fed vtilis admodum Ecclefię;iftorum enim librorum lectione, ingens fructus in animabus factus eft, infignes conuerfiones, & morum mutationes vifæ funt: adeo vt iuftè hi libri legi foleant, vt à Sancta confcripti, & maximo pretio & æftimatione habendi, habitique apud viros grauiffimos,& doctiffimos.

Sunt autem pro merito fuo in latinum fermonem, Gallicum, Italicum, & Polonicum, conuerfi, & in his omnibus nationibus magni æftimantur, obque venerationem,quę his libris,& eorum auctori debetur, Hifpaniarum Rex Philippus II. habere voluit exemplar libri vitæ fuæ,quem afferuari iuffit in Bibliotheca fua Scuriaca, vnà cum exemplari Diui Ioannis Chryfoftomi,particulari diftinctione, & reuerentia ab alijs libris.

57. Præter hos libros fcripfit tres relationes vitæ fuæ, & orationes: vnà incipit. *Queſta monaca ſono piu di* 40. *anni &c.* Quam adiecit Doctor Ribera lib. 4. cap. 7. vitæ fuæ:alia incipit, *Il modo di procedere nell' oratione*, Tertia *Mi pare ch' è piu d' vn anno &c.* Quas refert idem Doctor Ribera lib. 4. prędicto c. 26. & Epifcopus Tirafonenfis in fine libri tertij vitæ,& miraculorum B. Therefiæ; iftæ autem relationes, & in eis contenta, communiter reputantur, vt vera, & omnia fide digna, ficut & alia fcripta eiufdem Virginis.

De virtutibus heroicis feruæ Dei, & primo de perfecta mandatorum Dei adimpletione.

58. Ante omnia legis Dei præcepta exactè feruauit, vt cæte-

vt cæterarum virtutum fundamenta, nec in ea, per totum vitæ curriculum, vlla vmquam læthalis peccati labes manifestè apparuit: & postquam serio Deo inseruire cœpit, adeo erat constans, & firma in lege Dei seruanda, vt millies potius mortem subijsset, quàm peccatum veniale scienter commisisset.

De obedientia, & alijs Consilijs Euangelicis.

59. Solemne obedientiæ votum emisit, quòd exactè vsque ad mortem seruauit: regulam, cõstitutiones, & ordinationes Religionis perfectè custodiens: atque præterea erga Prælatos & Confessarios obedientissima fuit, quibus veluti ipsi Deo obtemperabat: adeoque vniuersè tam Prælatis, quàm Confessarijs parebat, vt numquam in eorum jussis peragendis hæsitauerit, aut difficilem se præbuerit, nihil sine eorum consensu, aut obedientia egit, nec in rebus externis solummodo, sed etiam in internis, ad animæ directionem spectantibus, fidelissimam se in obtemperando præbuit, vt apparuit ex voto quod emisit, se obtemperaturam in omnibus ad animæ directionem spectantibus, Patri Fratri Hieronymo Gratiano à Matre Dei, Commissario Apostolico, & Prælato eius.

Promptissimè obediebat Prælatis, & Confessarijs, etiam in rebus difficillimis; combussit librum, quem super Cantica ediderat (mirabilem doctrinam, & monita continentem) jussu Patris Didaci de Yangues eius Con-

Confeſſarij, tunc exiſtimantis mulierem dedecere commentarios in ſacram ſcripturã edere. Cùm Pater Dominicus Banez illi iniungeret, vt vitæ ſuæ librum, quem grauiſſimorum Confeſſariorum mandato ſcripſerat, igni traderet, reſpondit ſe illico obtemperaturam, ſi ipſe ſerio præciperet: quem Dei ſerua ſtatim combuſſiſſet, niſi ipſe id facere prohibuiſſet.

Hanc etiam promptitudinem oſtendit, cùm in ſuo Conuentu Medinæ del Campo degeret: imperatum enim illi fuit à quodam Prælato, qui ob quoſdam fines humanos aduerſus illam erat indignatus, vt ſtatim ab eo Conuentu diſcederet: paruit nihilominus ea ipſa hora nocti proxima, præcepto (licet paralijſi laborans tunc eſſet, & Religioſæ pręcepti abſolutionem ſe impetraturas promitterent) magnamque eius noctis partem in itinere faciendo conſumpſit frigore (nam hyemis tempus erat) incommodis, & multis infirmitatibus vexata.

Item cùm P. Generalis ſui ordinis ob ſiniſtra quędam, quæ aduerſus illam acceperat, ei imperaſſet, vt Hiſpali egreſſa in Monaſterio ſe abderet, vt ſuprà, Imperium hoc magna alacritate ſuſcipiens, ſtatim Hiſpali diſcedens ſe in Monaſterio per quadriennium incluſit.

Dicere ſolebat, quòd ſi *rebus quamuis arduis ſibi à Prælato vel Confeſſario iniunctis non pareret, ſe illuſam & deceptam credituram, nec à Deo aliquid poſtulare, aut orationi vacare amplius auſuram.* Dicebat eadem, *quòd vera obedientia in rebus arduis maximè probaretur.*

Prætere

Præterea habuit obedientiam simplicem & cœcam, nam quando ei Dominus apparere cœpit, imperatum illi fuit à Confessarijs, vt digitis quædam ludibria, hispanè (higas) Domino faceret, & signo Crucis muniret: parebat ergo eorum mandatis, Deo dicens se illud facere, vt obtemperaret ijs, qui eius vices in terra gerebant, & Deus hanc obedientiam probauit.

Non solùm in obedientia rationis discursus depellebat, sed nec diuinis reuelationibus sine obedientiæ probatione credebat, nihilque exequebatur, quod diuinitus ei reuelatum esset, nisi à Confessarijs & Prælatis probatum foret.

Dicere solebat, si hinc omnes Angeli aliquid juberent, inde Confessarij vel Prælati aliud quid præciperent, se solummodo Prælatis obtemperaturam, etiamsi Angelos cœlestes spriritus esse illi aliunde constaret.

Quòd præstitit in oppido Beas, vbi moranti iniunctum fuit à Prælato, vt Hispalim pergeret ad constructionem Monasterij. Cumque diuinitus accepisset, vt illud potius Madriti construeret, paruit nihilominus jussui Prælati, dicens se in reuelatione errare quidem posse, nullatenus tamen in superiorum obedientia.

Item cùm de primi Monasterij erectione tractaret, & jam peragenda foret, imperatum illi fuit à Prelato, vt illam relinqueret, obtemperauitque absque vlla repugnantia, quamuis vt illam perageret, per reuelationem à Deo accepisset.

Ipso die erectionis primi Monasterij, à Priorissa

Conuentus, à quo egreſſa fuerat, reuocata, ei paruit relinquens quatuor nouitias omni humano auxilio deſtitutas, quibus religionis habitum præbuerat.

Lætabatur admodum cùm Prælati, & Confeſſarij ardua & difficilia ei præcipiebant: & vt magis ſe in obedientiæ virtute exercere poſſet, cùm in initio Abulæ Monaſterium erexit, Prioriſſæ officium recuſauit, & huic muneri aliam ſuffici curauit: & præterea, vt obedientiæ Magiſtra, multa admodum vtilia monita in ſuis libris ſcripta reliquit, ad obedientiæ virtutem ſpectantia.

De caſtitatis dono diuinitus collato ſeruæ Dei.

60. Præter Virginitatis ornamentum, quo fuit inſignita, ſolemne caſtitatis votum emiſit, & mira honeſtate in ſuis verbis, operibus, & in omnibus alijs actionibus ſemper effulſit.

Fuit igitur caſtiſſima, & puriſſima ob ſingulare caſtitatis donum illi à Deo conceſſum (vt aſſeruit P. Rodericus Aluarez, vir admodũ grauis, & ſpiritualis Societatis Ieſu, cui Dei ſerua generalem totius vitæ confeſſionem Hiſpali fecerat) dicens quòd adeo impoſſibile erat, vt anima huius Virginis prauas cogitationes, ob ſingulare Dei priuilegium, pateretur, quàm ea conſpicilia, quæ in manu geſtans, demonſtrabat. Quamobrem non minus quàm erat à Cõfeſſarijs ſuis, alijſque perſonis, puriſſima & caſtiſſima exiſtimabatur, quorũ vnus: P.M.F. Didacus

de Yangues, eam non Virginem, sed Thesaurum Virginitatis appellare solebat.

Numquam carnis stimulos perpessa est, sicque huiusmodi passiones Dei speciali gratia, & beneficio instar Angeli ignorabat. Vnde si aliqua Monialis carnis stimulis vexata, ob remedium ad Dei seruam confugiebat, dicere solebat, se non posse illi consulere, quia hos in se motus numquam experta fuerat.

Hoc singulare castitatis donum diuinitus confirmatum est in sui corporis incorruptione, & suauitatis odore quem exhalat, quod vtrumque est inditium puritatis & castitatis, quam intactam, & inuiolatam, dum viueret, obseruauit.

Non solùm fuit castissima, sed valde in omnibus circumspecta, sicque multa in suis constitutionibus sanciuit ad castitatis conseruationem vtilissima, videlicet ne aliqua Monialis cum hominibus, excepto Patre vel fratribus, sermonem faceret: nec Prælata, cùm aliquem alloqui cogeretur, posset id facere, nisi præposito velo, numquam permittens, vt Monialis facies ab aliquo homine conspici posset, & alia quamplurima.

De paupertate strictissima seruæ Dei.

61. Euangelicam paupertatem vehementer amauit, & ob hanc etiam quamuis multos labores, & contradictiones pertulerit, sua Monasteria absque annuis redditibus extruenda curauit: spem suam magis in Deo, quàm in terrenis

in terrenis bonis collocans. Suis Monialibus dicere ſolebat, *ne ſe ipſas humana induſtria ſuſtentare ſtuderent, quia inde fame perituræ eſſent: ſed ſuo ſponſo placere curarent, omnem victus ſollicitudinem in eum proycientes*; *pauperrimas veſtes geſtabat.* Cùm die quadam Duciſſam Albæ vna cum ſua Conſobrina inuiſeret, hæc illi dixit, pudere ſe vilium veſtium, quas ipſa portabat; eas verò ipſa tanti faciebat, vt videns aliquam Monialem vilioribus veſtibus indutam, cum illis ſuas commutaret. Non ſolùm veſtitus, ſed & victus & lectulus erat pauperrimus: nam ſuper paleas cubabat, & vt pauper nebat, & in alijs etiam manuum laboribus ſe exercebat, hiſque vt aliæ Moniales, ſeipſam ſuſtentabat, nec ſe verè pauperem arbitrabatur, niſi aliquid neceſſarium illi deeſſet.

Cùm ad Monaſteriorum erectiones pergeret, ſæpe abſque pecunia iter faciebat, & ideo ſæpiſſime neceſſaria ad iter faciendum illi deerant. Cùm Hiſpalim ingreſſa eſſet, vbi à nemine cognoſcebatur, præter quadrantem vnum, ipſi, & ſocijs, nihil aliud ſuppetebat.

Aurum & alia pretioſa, quæ mundus æſtimat, nihili faciebat. Cùm Duciſſam Albæ viſitaſſet, ab illa accepit gemmam multæ æſtimationis, quam & ſi ſuſceperat, ne oblatum munus parui pendere videretur: tamen pòſtquam illam fuit allocuta, confeſtim gemmam reſtituit cuidam eius ancillæ.

Lætè admodum rerum inopiam ſuſtinebat, & in illorum Conuentuum erectionibus, vbi plura neceſſaria

pertulit, ſeſe frequenter cędebat funibus, ſæpe etiam clauibus aut vrticis vſque ad ſanguinis effuſionem: nec inflictis vulneribus aliud remedium, niſi recentes verberationes ſuperaddendo adhibebat.

Corpus domabat ferreis cathenis, in quibus aliqua ferrea acumina emergebant, aliquando etiam in vepribus ſe volutabat; in quibus alijsque plurimis pœnitentiæ operibus ſe exercuit, vſque ad totius ſalutis deſtructionem. Cùm aduerſa eſſet valetudine, numquam aſperioris vitæ exercitia deſeruit, nam tunc etiam ſæpe cilicia admota lateribus geſtabat, conſuetis verberibus ſe cędebat, aliquando etiam cùm decumberet febri laborans, è lecto ſurgebat, vt cum alijs ſe verberaret.

Ieiunia à religione præſcripta exactè ſeruabat: & cùm ob ſuas infirmitates carnibus juxta regulam licitè veſci poſſet, eis tamen, niſi graui admodum ægritudine opprimeretur, non veſcebatur; ad cibum, vt plurimum, nihil aliud præter ouum, aut paucos piſciculos adhibebat; quoties illi ſumendus erat cibus, toties tormentum ſubire videbatur: & licet admodum virili animo prædita eſſet, vt numquam lachrymas, maximè ob res temporales effundere viſa fuerit: cogebatur tamen flere, videns ſe huic neceſſitati corporis ſubditam; omnia guſtus oblectamenta reſpuebat, vt die quadam apparuit: nam cùm coctū quid comederet, ſecretè buccellam ab ore abſtulit, quam cùm Monialis quædam interrogaret, cur eo cibo optimè condito, non veſceretur, reſpondit, *adeo me oblectauit, vt buccellam illam deglutire auſus*

non fuerim, quia cibus corpus alere, non gustu nos oblectare debemus.

Vt magis se in pœnitentiæ operibus exerceret, frequenter in terra manducare, coram omnibus consueuerat, ponens obsonia in patinis & scutellis parum mundis, aliquando etiam in vnius cucurbitæ fragmento, vt suæ naturæ ad omnia nitida & pura propensæ repugnaret; si sororem aliquam horribili aliquo morbo laborãtem cerneret, ad illam accedebat, osculabatur manus, & vt magis naturam hæc abhorrentem vinceret, etiam cibos quibus illa vescebatur, gustabat.

Cubabat super paleas, vestes erant ex rudi, vili laceroque panno confectæ, indusium vel camisia lanea.

Duabus vel tribus horis duntaxat dormiebat, reliquum verò noctis tempus in oratione insumens, quod etiam seruabat, dum iter faciendo in hospitijs diuersaretur.

Et tanto ardore in macerationem sui corporis ferebatur, vt nisi à Confessarijs ob frequentes suas infirmitates fuisset detenta, vellet se ipsam pœnitentiæ operibus dilaniare; dicebatque se in nulla re magis quiescere vel oblectari, cùm vehementes illos impetus ac ardores videndi Deum patiebatur, quàm in sui corporis pro amore Dei castigatione, & valde ægrè ferebat, quòd Confessarij illam in hoc reprimerent.

Denique adeo fuit pœnitentiæ operibus dedita, vt reformationem instituerit ex ijs quæ in Dei Ecclesiam maiorem asperitatem profitentur. Suas Moniales ad pœnitentiæ opera hortabatur, & dicebat, quòd, etiam

si ægro-

ſi ægrotarent, ſe ipſas ad pœnitentiæ opera peragenda excitare deberent, nam alioquin nullum in virtute progreſſum erant facturæ.

De humilitate ſeruæ Dei.

63. Profundiſſima humilitate prædita fuit: multos annos in ſui ipſius cognitione, dum in oratione meditaretur, ſe exercuit: in quo maxima luce adeo illuſtrata ad eam ſui ipſius cognitionem deuenit, vt licet heroicis virtutibus, miris gratijs, & donis à Deo fuerit inſignita, ſe verè, & ex corde maximam mundi peccatricem reputaret, ſuas culpas leues diuina luce ponderabat, ac ſi grauiſſima peccata forent; & ſæpe dicebat, optare ſe aliquando omni ſenſu eſſe deſtitutam, ne tanta in ſe mala conſpiceret.

In ſuorum defectuum, & culparum conſideratione, adeo erat aſſidua, vt numquam inanis gloriæ ſtimulos ſenſerit: ne dum de induſtria illos pati poſſe ſibi videbatur, nam manifeſtè cognoſcebat, quę ſua, & quę Dei eſſent dona. Dicere ſolebat, quòd gratiæ ſibi à Deo collatæ, vt raptus, reuelationes, & viſiones diuinæ, erant veluti torrentes, qui raptim tranſeunt: peccata ſua, veluti cœnum, quod ſemper piè oculis gerebat.

Nec ſolummodo de ſe humiliter ſentiebat, ſed etiam appetebat vt alijs eius culpę, & peccata innoteſcerent, quę libentiſſimè omnibus euulgabat: cùm aliquis illam maximi faceret, ei ſua peccata ſerio aperire curabat,

passa, qui eam ferè è terra sustollebat, Deum deprecata est, ne palam hoc beneficium illi cöcederet, eo solum fine, ne cùm esset peccatrix, vt bona reputaretur.

Contumelias, contemptus, perpetua siti appetebat: magnam percipiebat voluptatem, cùm à Prælatis obiurgaretur. Cùm de noua reformatione erigenda ageret, iniurijs, ac maledictis lacessita, nullam suauiorem musicam, ac concentum ijs se posse audire dicebat.

Cùm innocens auersaretur, aut falsi testes contra illā insurgerent, nūquam se excusabat: immo culpas alias, quæ verè propalari poterant, illos omisisse dicebat. Magnopere Monialibus in suis libris commendauit, ne ob culpas illatas, seipsas purgarent. Dicere etiam consueuerat, nullas se iniurias perpeti posse: nam ijs adeo se dignam existimabat, vt iure ab omnibus despici posset.

Semper in virtute humilitatis progressus faciens, ex diuinis cum Deo eloquijs, ex visionibus, reuelationibusque, humilem sui ipsius cognitionem, eliciebat: cùm hæc pateretur, sic Deum sæpe alloquebatur. *Vide Domine quid facias, ne tam cito grauium memoriam delictorum meorū deponas, & licet ea puniri oblitus sis, recordare saltem, vt metam ponas beneficijs in me conferendis, ne sit tantus amor æterne Rex, qui gemmas adeo preciosas compellat mulieri miseræ peccatrici, & pessimæ committere, ne deinceps occasio præbeatur ea paruipendendi.*

De actibus externis humilitatis.

64. Externis etiam actibus humilitatis enituit, verbis, operibus, & cæteris suis actionibus intus existentem humilitatem demonstrans.

Refectorium aliquando prona ingressa est, clitellam in dorso ferens, suppliciter culparũ suarũ veniam postulans, Moniales etiã obnixè deprecans, vt pro ipsa oraret.

Cùm Toleti degeret, eique videretur, quòd nondum Deo seruire inchoasset, à suo Prælato efflagitauit, vt Religionis habitu, per aliquot dies eam exui præciperet, iterumque illi habitum, vt nouitiæ tribueret, quia denuo Deo inseruire optabat. Prælatus eius votis annuẽs exuto habitu, iterum postea coram omnibus monialibus illi religionis habitum præbuit. Quo humilitatis exercitio tanta est deuotione affecta, vt extra sensus ad diuina raperetur.

Cùm in Monasterijs quæ erigebat, Priorissam iuxta facultatem sibi concessam erigeret, ei se statim subijciebat, obtemperabat, & licẽtias in rebus (vt totius Monasterij minima) ab illa postulabat, cùm tamen fundatrix, & omnium mater esset.

Monialibus frequenter in refectorio seruiebat, & sæpissime (cùm hoc illi valetudo concederet) culinæ ministerio præerat, infirmis officia prçstabat, etiamsi aduersa esset valetudine: cum alijs verrebat. Vasa domus abluebat, sordiora ipsius Monasterij loca purgare, & verrere consueuerat, in quibus cœlestem percipiebat odorem: & ea voluptate in his humilitatis operibus peragendis perfundebatur, vt se chori actibus non esse astrictam concupisceret, vt semper in ijs vilioribus ministerijs se posset exercere, ad modum sociæ inter se cum inferioribus gerebat, consilium sçpe a minoribus exposcebat, &

bat, &

bat, & sequebatur earum sententiam, suæ illam præferēs opinioni: simulationes omnes, & quicquid hypocrisim redolere posset, vitabat: sincerè ac affabiliter absque vlla muliebri affectatione cum omnibus agebat: numquam monialibus manum exosculandam præbere voluit.

Si forte monialem aliquam de se conquerentem audiret, flexis genibus ab ea veniam petebat.

De fortitudine & magnitudine animi seruæ Dei.

Inter alia verò mirandum etiam, fortitudine & animi præstantia Dei seruam Teresiam excelluisse, miramque in Deo confidentiam habuisse: qua ita inuictum animi robur consequuta est, vt ad magna, & ardua, pro Dei gloria, aggredienda numquam trepidaret: vt apparuit in tot Monasteriorum erectionibus, alijsque innumeris laboribus & contradictionibus: quæ omnia incredibili animi magnitudine superauit, qua nihil aggressa est, quod non consequeretur: nec aliquid inchoauit, quod non ad finem vsque perduceret.

In his alijsq; occasionibus numqnam animo frangi, aut Deo diffidere visa est, nec in contradictionibus, & difficultatibus, quæ in supradictis fundationibus, alijsque negotijs peragendis sese illi obtulerunt, vmquā demisse, aut timidè se gessit: immo in laboribus, & periculis animos addebat, & solabatur alios.

In itineribus cùm aliquod periculum immineret, vel ob viarum difficultatem, vel ob fluminum inūdationes,

alios præibat: vt præstitit cùm Burgos pergeret: nam cùm ad difficillimum transitum deuenisset, ipsa præiuit, socijs monialibus præcipiens, si fortè aquarum copia demergeretur, ne pertransirent: idemque præstitit in alijs occasionibus.

Quamuis sæpe Dæmones conspiceret, & ab eis tormenta subiret, non magis eos, quam si muscæ forent, formidabat, Deum duntaxat timebat.

De admirabili patientia seruæ Dei.

66. Dei serua, à tempore quo Deo inseruire, & se in oratione cæpit exercere, Christi crucem, & mortificationem ardēter appetere cœpit: qui patiendi ardor adeo creuit, vt nullus mercator sic lucris inhiaret, vt ipsa laboribus propter Dei amorem sustinendis, & hæc verba instar vexilli frequentęr in ore ferebat, *Domine aut mori aut pati*: Deum deprecans, vt vel illam ex hac mortali vita eriperet, vel labores, & molestias illi concederet: quæ verba in multis imaginibus Dei seruæ scribuntur; tamque ipsius Symbolum hanc eius assiduam petitionem Deus exaudiuit, sicque innumeras illi occasiones præbuit patiendi in corpore, in anima, in honore, & vltra 46. annos eius vita, assiduus fuit laborum & ærumnarum contextus.

De ijs quæ in corpore pertulit.

67. In corpore grauissimas pertulit infirmitates statim à professione emissa, per triennium molestissimis ægritudi-

Statuerat nullum diem transigere absque aliquo peculiari charitatis actu proximis præstito: quod si interdiu occasio non sese obtulisset, cùm noctu Religiosæ è choro aut alio loco egrederentur, eis lucernā præferebat.

Maximi honorem proximi faciebat: amicos & inimicos, vt supra diximus, diligebat: numquam maleuolentijs, aut obtrectationibus locum præbens.

De gratijs gratis datis a Deo seruæ Dei collatis, & miraculis ab ea in vita factis.

80. Cumque Deus elegisset suam seruam, ad magna pro eius gloria peragenda, & præsertim, vt ei multas animas lucrifaceret: illam ob suam, & aliorum vtilitatem, & profectum ferè omnibus gratijs exornauit, quas scriptura gratis datas appellat.

Primo illi concessit gratiam, quam vocant fidei. Nam & tribuit certitudinem, & penetrationem rerum quas fide credimus excelsiorem, & sublimiorem ea, quam iusti, vt plurimum possident; ita vt ipsa diceret (vt supra relatum est) *Se solum efficere p se, vt omnes hæretici suos errores cognoscerent*: nunquam aduersus fidem primos tentationis motus agnouit.

De gratia Sermonis.

Item illi concessit gratiam sermonis, vt Theologi vocant. Nā mirā quandā efficaciam, & virtutē in suis verbis habebat, & corū luce intellectus oculos illustrabat, corun-

eorundemque efficacia audientium corda sibi subijciebat, quam gratiam sæpissime experiebatur, qui cum ea tractabant. Quod etiam apparet in libris, quos absq; vllo humano studio conscripsit. In quibus Spiritus Sanctus vtitur eius lingua veluti instrumento, ad docendum, & delectandum, & excitandum diuina quadam virtute, ad viam perfectionis prosequendam, eorum, qui illos perlegunt.

Magnopere solabatur afflictos, & vnico verbo tentationum nebulas depellebat, & luce ac serenitate animas perfundebat eorum qui cum illa agebant.

De gratia interpretationis sermonum.

Gratia etiam interpretationis sermonis prædita fuit: nam cùm numquam latinum sermonem didicisset, Sacras Scripturas interpretata est, sensu sano, Catholico, & vtili, vt ex libro Canticorum, quem interpretata fuit, & ex alio libello, quem in orationem Dominicam edidit, apparet.

De gratia Prophetiæ.

81. Prophetię dono insignita fuit, multa prædixit, quæ etiam dum viueret, completa sunt: nam prędixit interitũ Regis Lusitaniæ, & sui exercitus, & Galliæ nũc grassantes hęreses, vidit enim Angelum ense sanguine tincto minantem illis regnis.

Multa etiam ad suam religionem spectantia dixit: videlicet quod primum illud Monasterium, in quo tot con-

contradictiones pertulit, omnino conſtruendum erat: deinde cùm Religio maximas perſecutiones pateretur, ita vt euerſioni proxima eſſet, dixit, *labores paſſuri ſumus, ſed religio vlterius progredietur.*

Dixit ei Dominus, quòd conueniens erat, vt Patres diſcalceati a Patribus mitigatis ſepararentur, & ita præſtitum fuit. Dixit etiam, quòd erat viſura propagationem Religionis ſuę, vt euenit: nam ante eius obitum vltra 30. Conuentus erectos vidit: ſuam mortem octo annis antequam eueniret, prædixit.

Præcognouit etiam controuerſias magnas futuras inter Religiones B. Dominici, & Societatis Ieſu: viditque in vltimis Eccleſiæ temporibus prędictas Religiones maximo charitatis vinculo ligatas, contra Antichriſtum pugnaturas.

Multas ad ſeipſam, & ad alios ſpectantes prophetias habuit, quæ in eius libris diſperſæ ſunt, & in alijs qui de eius vita conſcripti fuerunt, aliaſque innumerabiles, de quibus teſtes examinati in eorum depoſitionibus latius mentionem faciunt; quare cùm Epiſcopus Abulen̄. D. Aluarez de Mendoza, tantã de hac prophetię gratia experientiã habuiſſet, ſolitus erat dicere: Si Virgo Te reſia hoc affirmat, etiãſi impoſſibile appareat, eueniet.

De gratia diſcretionis ſpirituum.

82. Habuit etiam gratiam diſcretionis ſpirituum. Cognoſcebat ſtatum & diſpoſitionem, & ea quæ intrinſecus in animo latebant, ac ſi intus eſſet in corde eorum

N cum

eſt ſolata, ex eademq; hora prædictus Religioſus incolumis, & a tali moleſtia liberatus, deinceps remanſit, licet eius ſpeciei eſſet tentatio illa, vt quem ſemel aggrederetur, ſero dimitteret.

De gratia ſanitatum.

83. Gratia ſanitatum etiam non caruit, ita vt manu vel alia corporis parte infirmorum corpora tangens, morbos depelleret.

Primū in Ciuitate Hiſpali erat quędā Nouitia, magnā habens ſuppuratiōnē, vulgo apoſtema in oculo. Cùm verò illā medici die altera aperire cauterio decreuiſſent, ipſaq; Nouitia propter periculum ſibi imminens valde formidaret, prædicta Tereſia ad eam accedens, dixit, *Ne timeas filia, in Deo confide, quod cauterium non erit neceſſarium.* Quo dicto illā manu contrectās ſtatim ſuppuratio aperta eſt, ſtupētibus medicis, qui ad deſtinatā diem cauterij venerāt, quod prædictus tumor absq; vlla diſpoſitione apertus fuerit: & tum ipſi, tum moniales quæ aderant, manifeſto miraculo tribuerūt. Hęc eadē Religioſa cùm graui ſtomachi & cordis dolore angeretur, poſt multa remedia, ad contactum manus ſeruę Dei ſtatim conualuit.

Alia monialis Albę cùm grauiſſimo capitis dolore laboraret, & oculos adeo male affectos haberet, vt lucem non poſſet conſpicere, nec poſſet incedere, niſi admotis ad oculos manibus, comprehenſas manus ſeruæ Dei, quando erat morti proxima, capiti, oculiſque ſibi imponens, ab vtraque infirmitate conualuit.

Sæpe ſigno crucis liberauit a dentiū molariū dolore

Annam a Sancto Bartholomæo eius sociam, & alias personas.

Ioanna a spiritu Sancto degens in Conuentu Medinæ del Campo, laborans febri & Erysipilate, adeo incenso, vt medici pertimescerent, ne fieret cancer: dicta Teresia extendens manum illi super faciē, dixit, *Confide filia, Deus te curabit*, & ex illa hora sentit se erysipilate, & omni infirmitate carentem; & cùm ab infantia hunc morbum passa fuisset, in reliquo vitę tempore, quod 20. annos perdurauit, a recuperata sanitate nihil inde pertulit. Item in alijs euentibus manifestum fuit, quòd sola manuum contactione curabat infirmas, non solùm ab infirmitatibus corporis, sed etiam(& hoc sæpissimè)a tentationibus, & afflictionibus internis.

De gratia operationis virtutum.

84. Habuit etiam dum viueret, gratiam operationis virtutum. Quia, cùm quidam eius Confessarius Pater Gaspar de Salazar; (qui fuerat Rector Collegij Abulensis Societatis Iesu) esset in suo cubiculo, remoto ab eo loco, vbi prædicta Virgo commorabatur, dicta Virgo illi apparuit, januis & fenestris clausis, Cubiculum intrans, & quædam monita illi spiritualia tribuit, ad animæ suæ vtilitatem spectantia.

85. Aliud etiam insigne a Deo patratum est miraculum meritis & intercessione seruæ Dei, ad vitam reuocantis quendam suum Consobrinum. Quod ita euenit: anno 1562. cùm Abulæ construeretur domus pro primo

Monaſterio, quod Dei ſerua fundauit, ludens in prædicta domo quidam puer, filius cuiuſdam ſororis Virginis Tereſiæ: vel ex eo quòd trabs corruiſſet ſuper illum, vel potius quia ipſe caſu aliquo cecidiſſet juxta domus veſtibulum, exanimis eſt inuentus, & mortuus abſque aliquo vitę ſigno: ſtatim Dei ſerua, quę inde non longè aberat in domo cuiuſdam Dominę Guiomarę de Vlloa, certior facta de morte pueri, vnà cum prędicta Domina Guiomara ad locum, vbi puer jacebat, perrexit, maximo dolore percuſſa: pręcauens quòd ad matris pueri notitiam eius mors non perueniret. Cùm igitur acceſſiſſent, dixit prædicta Domina Guiomara Virgini Tereſiæ, *Soror, puer hic mortuus eſt, quali putas dolore eius parentes afficientur? tamen apud Deum non eſt impoſsibile omne verbum, ora igitur pro illo.* Tunc Virgo puerum inter brachia ſuſcepit. Cùm autem prædicti pueri mater rem totam didiciſſet, ad locum vbi puer erat, illico maximis cum lacrymis & afflictione acceſſit. Interim Dei ſerua habens puerum in brachijs, orans ad Deum pro eius vita, elapſo paruo temporis interuallo, illum ex brachijs viuū & incolumem reddidit matri ſuæ, dicens, *Ecce filius tuus*: & poſt horę dimidium puer ludebat in aula prædictæ domus, vnà cum eius Amita & alijs pueris. Illa verò Domina Guiomara de Vlloa videns quæ facta fuerant, dixit ſeruæ Dei, *Soror, quomodo ſe habet res hæc, nonne puer iſte mortuus erat?* Prædicta autem Virgo tacuit dictis conſentiens, quod in alijs occaſionibus facere non conſueuerat. Hic verò puer aliquibus poſt annis Virgini Tereſiæ dicere

solebat: eam teneri illius animæ salutem a Domino impetrare, siquidem quando illam certo assequi poterat, propter illam ea priuatus fuit.

86. Per orationem etiam Virginis prædictę multa alia miracula patrata fuerunt: præcipue cùm Monasteria instruere inciperet, eius Moniales multitudine pediculorum (præcipuæ cùm orarent) vexabantur: rogaueruntque Dei seruam, vt illis a Domino impetraret, vt ea molestia carerent: quod ipsa a Domino obtinuit, nec deinceps apparuit hæc immunditia in suis Monasterijs, etiã si omnes indusia lanea ferant. Adeo vt eæ moniales, quæ in seculo habebant hos pediculos, in religione illos non patiantur; quod est miraculum, quod multa cõtinet miracula: quia quot sunt moniales, tot sunt & miracula.

87. Eius etiam precibus Deus repente Abulæ sanauit quendam, qui ita a retentione Vrinæ cruciabatur, vt se dilaniare velle videretur: quem cùm prædicta Virgo, ex superioris mandato, visitasset, & Deum pro eius sanitate rogasset, statim conualuit.

Item cùm Deo commendaret quendam, qui ferevisus vsum amiserat, vt illi visũ restitueret, deprecanti ei dixit Dñs, factũrũ se quod ab eo postulabat; & jã illi certũ esse quod nihil ab eo postulasset, quod ipse non concessisset.

88. Cùm Dei serua in humanis ageret, suis monialibus Dei nomine promisit, nihil necessarium eis vmquam defuturum (quod præsertim promisit) ijsque in Monasterio villæ nouæ de la Xara degebant, quia admodum inops erat, & in illo nouem Moniales sine dote

admi-

admiferat: contigit vt primo fundationis anno (qui erat steriliſſimus) nec vllus erat, qui illis eleemoſynam erogaret, per ſex menſes diuinitus 16. perſonæ alerentur ſex tritici menſuris, vſque ad noui tritici aduentum, cùm naturaliter ſexaginta non ſuffeciſſent.

Item quod cùm in hoc Conuentu multæ Moniales ægrotaſſent, & ob eleemoſynarum defectum multarũ rerum egeſtatem paterentur, Deus ex vnica arbore Pyri tantos illis fructus conceſſit, vt per duos integros menſes ſingulis diebus omnes illæ Moniales, & alij plures pauperes in populo ægrotantes (erat enim annus qui vulgariter in Hiſpania appellatur del Catarro) piris veſcerentur: quę modò elixa, modò aſſa comedebant, & quotidie onera pyrorum in oppidum deferebantur, ac vendebantur: ex quorum pretio, tum Monialium neceſſitatibus, tum aliorum infirmorum, qui multi erant, prouiſum fuit.

Item cùm Religioſæ cuidam nuncupatæ Annæ de S. Auguſtino, eiuſdem Conuentus ſeruæ Dei dixiſſet: vt quotieſcunque aliquid eis deficeret, ad effigiem pueri Ieſu (quam ipſa illi dedit) confugeret; & ipſa hoc fidenter aliquoties pręſtaret, prope eũdem puerum aliquando pecuniam inueniebat, aliquando etiam alijs in locis vbi Deus illi inſpirabat: & ſemel inuenit prope ipſum puerum Ieſum triginta ſcuta monetæ 11. Iuliorum pro ſcuto, quæ ibi nemo niſi Deus collocare potuerat.

90. Mediante etiã pręd ctę Virginis oratione viſæ ſunt plures mirabiles cõuerſiones in peccatoribus. Pręſertim

cùm Sacer-

Sacerdos quidam in quodam peccato mortali, ex detestabilioribus, quæ ipsa audierat, vltra biennium detinetur, quo tempore absque vlla peccati confessione sacrum faciebat: hic audita fama Sanctitatis Virginis, illam est allocutus: cui promisit Dei serua, rogaturam se Deũ, vt huic malo mederetur. Deinde cùm Sacerdos abesset, ab ea postulauit vt ei scriberet: quod cùm Virgo præstitisset, ad primam eius epistolam peccatum confessione aperuit, & se melius habere respondit: nam per aliquot dies a peccato abstinuerat: rogaret tamen Deum pro eo, quia adeo dæmonum tentationibus cruciabatur, vt tormenta inferni subire videretur. Deum Virgo deprecata est, vt illa tormenta & tentationes sedarentur, imo velle se in seipsam retorquere illos dæmonum impetus, dummodo illum non offenderent: quod ita euenit: nam per mensem grauissimis dæmonum tormentis cruciata fuit, & Sacerdos remansit omnino liber, maximas gratias agens Deo & prædictæ Virgini: qui postea illi narrabat, quanta fuerat passus: & quòd cùm a tentatione vexaretur, ad suarum Epistolarum lectionem omnes tentationes fugasset.

91. Semel etiam orans pro quodam Viro graui, cui multum Dei serua erat astricta, qui in peccato mortali iacebat, dæmonem propensè conspexit, quędam scripta dilacerantem; quæ in manibus gestabat: ex quo intellexit Deum sua peccata illi pepercisse; quod postea magis fuit confirmatum; quia dictum fuit seruæ Dei, magna cùm contritione fecisse confessionem, & toto

toto corde ad Deum fuiſſe conuerſum.

92. Alia vice vidit duos dæmones, qui ſuis cornibus cingebant guttur cuiuſdam Sacerdotis, qui Miſſæ Sacrificium celebrabat, & ſimul vidit Dominum cum magna Maieſtate in hoſtia exiſtentem, qui dixit illi: vt pro anima illius Sacerdotis oraret: ex qua oratione Sacerdos remanſit liber, & ad Deum conuerſus eſt.

Multa alia præterea huiuſmodi mira patrauit: quæ ipſa refert in libro vitæ ſuæ cap. 31. 38. & 39. Et in alijs libris qui de eius vita ſcripti ſunt.
Item ſuis precibus multæ animæ a Purgatorij pœnis egreſſæ ſunt, quos ipſa in cœlum migrare videbat.

93. Dum in humanis ageret, ſæpe viſa fuit habere faciem magno ſplendore præfulgentem, vel quando Euchariſtiam ſumebat, vel quando extaſim patiebatur, aliquando cùm libros ſcriberet: ſed præſertim nocte quadam, cùm matutinas preces perſolueret in Conuentu Valliſoleti, ferens in manu candelam, ſplendor qui ex eius facie egrediebatur, ſuperabat illum quem candela emittebat, & ſimiliter ex eius corpore, nec non ex eius veſtibus ſuauiſſimus odor terræ odoribus diſſimilis, egrediebatur.

De glorioſo obitu ſeruæ Dei.

94. Cùm Dei ſerua erectionem Monaſterij in Ciuitate Burgenſi peregiſſet, vbi maximos labores pertulerat, decreuit redire ad primum Monaſterium ab ipſa Abulæ conſtructum, vt ibi diem ſuum obiret conſcia

quòd iam gloriosus eius transitus appropinquaret: cùm verò Burgis discessisset, vt Abulam pergeret, obuius fuit illi in oppido Medinæ del Campo P. Fr. Antonius à Iesu, tunc Virginis superior, qui eam ibi expectabat, vt Albam perduceret: quod Dei serua valde molestè tulit, videns quòd hoc ageret ille, rogatus a Ducissa Albæ, quæ illam sanctam æstimabat, & hac de causa hunc illi honorem deferebat. Albam peruenit admodum defatigata, & febri alijsque doloribus laborans: post paucos dies crescente morbo, pridie diei S. Francisci, postquam suo Prælato confessionem fecerat, sacram Eucharistiam postulauit. Interimq; dum illa afferebatur, cœpit moniales ad vitæ perfectionem, & regulę constitutionumque obseruantiam exhortari.

Allata sacra Eucharistia (etiamsi adeo grauiter ęgrotaret, vt nō posset corpus mouere, nisi a duabus religiosis adiuta) tamē adeo eius conspectu gauisa est, vt se vellet è lecto deijcere, nisi a monialibus astātibus detineretur: sicq; absque alicuius auxilio, multa cum velocitate supra lectum sedit, vultumque accensum, & pręfulgentem habens, cum suo sponso alloquens, quem adstātem cernebat, gaudens & læta, inter alia amatoria eloquia hæc effabatur. *O Domine mi, & sponse mi, iam desiderata hora aduenit, iam tempus est vt te videam, & ad te veniam, & simul simus mi Domine: iam tempus est iter faciendi, quod fælix faustumq; sit, fiat voluntas tua, iam proxima est hora, in qua ego ex hoc ergāstulo egrediar, & mea anima te perfruatur, quod adeo concupiuit.*

Gratias agebat Deo, quòd illam Ecclesiæ filiā fecisset sæpe repetebat. *Tandem Domine filia sum Ecclesiæ.* Sępe etiam

a Deo peccatorum veniam flagitabat, & dicebat, *Se Christi meritis saluandam sperare:* aliquando hunc Dauid versiculum repetebat, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Deinde paulò ante diem Sancto Francisco dicatum, Sacramentum Extremæ Vnctionis suscepit, respondens Psalmis, precibus, & orationibus, quæ ibi, vt moris est, dicuntur: post cuius Sacramenti susceptionem, gratias item egit Deo, quod illam Ecclesiæ filiam fecisset.

Cumq; a suo Prælato rogaretur, an post eius mortem corpus eius Abulam, vbi primum Monasterium construxerat, deferri vellet: ipsa verò ostendens spiritum paupertatis, & negationem propriæ voluntatis, quem semper habuit, dixit, *num debeo ego proprium aliquid habere, num hic pauxillum terræ corpori non dabitur?*

Totam illam noctem in Psalmorum versiculis pronunciandis transegit, vsque ad matutinum tempus, tunc 17 horas recubuit in latus, & forma qua diua Magdalena depingi solet, Crucifixum habens, quem numquam dimisit de manibus vsque ad sepulturæ tempus, & in oratione posita, magna pace & quiete, absque vllo corporis motu, tota die in extasi permansit, vsque ad horam nonā noctis, in qua animā reddidit suo Creatori, ipso die S. Francisci anno 1582. ętatis verò suæ circiter 68. postquā 47. annos in religione traduxerat, 27. sub regula mitigationis, & 20. postremos fundans nouā reformationem.

95. In obitu huius Virginis multæ circumstantiæ mirabiles concurrerunt, in quibus Dominus voluit

honorare & manifestare innocentem & sanctam vitam suę seruæ.

Primo prædicta Virgo octo annos, antequam obiret, prædixit mortem suam, & sciuit quòd Albæ erat futura.

Paucis diebus ante eius obitum multa cœli signa apparuerunt: quædam religiosa vidit duas stellas Cellæ virginis imminentes: Aliæ sæpe viderunt stellam magnam & præfulgentem supra Monasterij Ecclesiam: Alia Religiosa vidit radium præfulgentem coloris Cristalli, transeuntem per fenestram cellę, vbi Virgo ex hac vita migrauit.

Quędam Religiosa Dei serua, vocata Francisca a Iesu, ea nocte qua Virgo decessit, cũ Vallisoleti oraret, vidit prope se lucem adeo magnam, vt oculos ad cœlum attollere cogeretur, & in ipsa conspexit, quemdam veluti hiatum, & in illo ingentem Rotam luminum cum magno splendore & lætitia, ac si aliquis hospes reciperetur intra illum: tunc ipsa cogitauit, quòd aliquis iustus, tunc in cœlum ingrederetur. Cùm deinde obitus Virginis & mortis tempus nunciatum esset, animaduertit se ea ipsa hora passam fuisse visionem, in qua Virgo obierat, & cognouit eam esse, quæ in cœlum tum ingrediebatur.

Alia Dei serua vocata Elizabet a Sancto Dominico, & ex primis socijs, Segobiæ Priorissa, eadem nocte, in qua Virgo decessit, maximum percepit odorem in sua cella, & vidit lucem, ac si esset alicuius candelæ: & intellexit illud esse aliquid præter naturalem ordinem rerum.

Cùm

Cùm autem ei obitus Virginis nunciatus eſſet, intellexit illud ipſum eſſe quod præuiderat.

Anna à Sācto Bartholomęo (quę fuit Prioriſſa Monaſterij Pariſieñ) & religioſa manifeſtæ virtutis & Sanctitatis, ipſiusque Virginis familiaris ſocia, antequam Virgo animam efflaret, vidit Chriſtum magno ſplendore præfulgentem, multis Angelis comitatam propè aſſiſtentem.

Alia religioſa, quæ ægrotantium Monialium curam gerebat, à feneſtra quadam prædictæ Virginis audiuit magnum ſonitum aliquorum præ lætitia geſtientium, & vidit quoſdam prætereuntes per clauſtrum veſtibus albis amictos, lætè admodum Virginis cellam ingredientes, & ad decumbentis lectum accedentes, & ſtatim illa è vita migrauit; Ex quo videtur, quòd ad eam comitandam venerant.

Item alia Religioſa, cùm extremum halitum efflaret, vidit quandam quaſi columbam ab eius ore egrédientem. Obijt Dei ſerua ex impetu quodam magno amoris Dei, poſtquam totum illum diem in oratione permanſerat, & hoc reuelauit Matri Catherinæ à Ieſu, fundatrici & Prioriſſæ Conuentus oppidi de Beas, mulieri ſpectabilis ſanctitatis & alijs.

Poſtquam è vita migrauit, viſa eſt magna quædam lux in ſua cella, & quidam ſuauiſſimus odor in Conuentu, & extra ipſum permanſit, & in omnibus ſuis indumentis & etiam in rebus quas manu tetigerat, vt in ſalino, lance: & Monialis quædam cùm Virginis

corpus ad celebrationem exequiarum induiſſet, manus abluens, deinde cœleſtem odorem ex illis egredi ſenſit, qui odor per multos dies perdurauit.

Remanſit Virginis corpus candidum, vultus erat formoſus & perlucidus ad modum cryſtalli, membra omnia erant flexibilia & tractabilia, nec rugæ apparebant quas ob ſenectutem contraxerat.

Quando erat morti proxima, acceſſit ad eā religioſa quædam (vt ſupra dictum eſt) imponenſq; ſibi manus Virginis ſupra caput & oculos ſimul conualuit, a duabus infirmitatibus, quibus in his partibus laborabat.

Statim ac efflauit animam, Religioſa quędam quę ſenſu olfactus carebat, exoſculans illi pedes, ſenſum repente recuperauit, & ſuauitatē odoris egredientem è corpore percepit: in cuius etiā manibus etiā odor adeo intenſus permāſit, vt crebris ablutionibus nō poſſet euaneſcere.

Eadem ipſa nocte qua obijt, apparuit glorioſa prędictę M. Catherinæ a Ieſu, quę hoc confeſtim retulit Prouinciali ſui ordinis, antequā aliquid accepiſſet de eius obitu aut infirmitate, & dictā Catherinā curauit a quodam morbo, & eadem etiam nocte apparuit alijs Religioſis.

Confluxit ad ſui corporis ſepulturam totū oppidū, vt ad funus mulieris Sanctæ, cum publica voce & fama, communiq; dicto in vniuerſo populo Sanctitatis & excellentiæ vitæ huius ſeruæ Dei, corpus ipſum in magna veneratione habendo & tenendo: & ſuper feretrum in quo ipſum corpus jacebat, collocatus fuit pannus broccati (quod ipſa prædixerat, vt ſupra dictum eſt) timentes

autem

autem Religiosæ omnes, & præsertim Domina quędam vocata Teresia de Laiz, fundatrix & patrona illius Conuentus, ne Sanctum corpus abreptum Abulam ferretur, posuerunt illud in quadã concauitate fornicis in ecclesia, conspicua parietis inferioris chori: ante quàm erant quidam cancelli ferrei, vt illo tam externi, quam domestici perfrui possent: & tumulo præparato incluserunt corpus suo habitu indutum, in capsa quadam, quam tot lapidibus calce & lateribus obruerunt, vt confracta multaque terra impleta fuerit, murusque solidus vsque ad supremam partem ædificatus est.

Statim ac decessit, vestes eius, & alia quibus vsa fuerat tam in religione quàm extra illam, distributa sunt, quæ seruantur instar reliquiarũ, & præsertim in oppido Albæ: per quæ etiam multa miracula patrata sunt.

De apparitionibus post mortem seruæ Dei.

96. Post mortem sæpe apparuit multis religiosis viris & Monialibus, & alijs laicis cum manifesta demonstratione gloriæ, qua fruitur.

Primo Granatæ apparuit Matri Antoniæ, quę fuit prima Monialis nouæ reformationis, & illi ostendit quã magna gloria frueretur, & quibus prærogatiuis esset ornata, ob maximũ zelum quẽ habuerat (dum in humanis ageret) de conuersione hęreticorum & infidelium: & dixit quòd propter ea quę perpessa fuerat in hoc mundo, vt animabus auxiliaretur, multis a Deo gloriæ gradibus fuerat insignita: & eam constituerat protectricem, & patronam conuersionum infidelium.

Alia

Alia religiosa ex primis monialibus Conuentus Abulēñ, quam prędicta Virgo valde dilexerat, dum viueret, vocata Elizabeth a S. Dominico, quam etiam prędicta Virgo secum duxerat, vt Priorissę officio fungeretur in erectione Monasterij oppidi Pastranæ, & in Ciuitate Segobiæ, & post eius mortem fundauit conuētum Cæsaraugustæ, & nunc est Priorissa Abulæ, hęc magna vi in spiritu rapta vidit animam prædictæ Teresiæ cum tanta gloria, vt eam exprimere non valeret, & particularibus donis eminentem: & pręsertim vidit Zonam quæ illam præcingebat, & vinciebat cum Deo: & cognouit quod hęc Zona erat signū magnę charitatis, qua Deum dilexerat, & ardentis desiderij, quo proximorum salutē curauerat: ob quam causam Deus illam ad tantā gloriā euexerat: & antequam hanc visionem pateretur, cupiens a Deo edoceri, qua gloria virgo frueretur, ei dictū fuit, *est intellectus tuus sicut oculus noctuæ ad lucem solis, ad intelligendam gloriam qua mea serua fruitur.* Et prædicta Elizabeth nemini has visiones aperuit, nisi iuramento coacta.

Eadem Religiosa Segobiæ officio Priorissæ fungens, cùm nocte quadam diei festi Innocentium matutinas preces persolueret, magnum percepit odorem; & conspexit dictam Virginem chorum ingressam, & deinde circumcirca Moniales, quæ in choro aderant, deambulantem. Tunc etiam visa fuit a duabus alijs Religiosis quę fuerunt Prælatæ eiusdem ordinis, quarum altera alia vice illam vidit gestantem coronam magni splendoris & gloriæ.

Item

Item apparuit magna luce & claritate præfulgens cuidam Religioſo ſui ordinis, cuius nomē tacetur, nam adhuc viuit, & illi dixit, *ij qui in cælo & in terra degunt, eiuſdem debent eſſe amoris & puritatis; nos fruendo, vos patiendo: nam in hoc diſtinguimur: Et quod nos facimus in cælo cum Eſſentia Diuina, facite vos in terra cum Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento. Et hoc dicas meis monialibus.* Quibus verbis animæ illius religioſi impreſſa fuerunt hęc quatuor, Amor, Puritas, Sacramentum & labores.

Etiam apparuit glorioſa poſt mortem Comiti de Oſorno, dum eius ſepulchrum inuiſeret, & Tereſiæ de Laiz, fundatrici Conuentus Albæ, cùm morti proxima eſſet. Item apparuit in ſomnis R. P. F. Didaco de Yepes Epiſcopo Tiraſonenſi, & alijs multis, vt conſtat ex eius vitæ libris, & informationibus factis.

De miraculis poſt obitum Virginis.

97. Poſt obitum ipſius Altiſſimus & omnipotens Deus, ad gloriam ſui nominis, & ad ſeruę huius ſuę Sanctitatem manifeſtandam, infra tam plurima miracula operari dignatus eſt.

De incorruptione miraculoſa corporis ſeruæ Dei.

Primùm quòd cùm eſſet corpus Virginis humatum, abſque vlla inteſtinorum extractione, aut balſami vnctione, aut alio quocunque modo a corruptione ſeruatum: & cùm ſupra illud, humum & calcem Cementarij

proieciſſent, & tumulus vndique ſolidè eſſet ędificatus, nihilominus ita magnum efflabat odorem (ijs præſertim diebus Sanctorũ, quos ipſa pręcipua deuotione coluit) qui aliquãdo erat ſimilis odoribus lilij, aliquãdo violę, aliquando florum aliorum. Nec ſolùm a Monialibus Monaſterij, ſed etiam ab externis percipiebatur, tanta intenſione, vt eius nimia & inſolita odoris fragrantia compulerit Moniales, vt a Prælato extrahendi corpus à ſepulcho facultatem expoſcerent, pręſagientes magnum aliquod ibi latere miraculum; certò enim ſibi perſuadebant, fieri non poſſe, vt aliquod humanũ corpus talem emitteret odorem, niſi ſupernaturali quadam virtute incorruptum eſſet: adeo vt tãdem Prouincialis Monialium perſuaſionibus acquieſcens, die 4. Iulij anno 1583. poſt nouẽ tranſactos menſes, ſepulchrum aperiri decreuerit: cumque terra ſepulchri effoderetur, quantò magis fodientes corpori appropinquabant, tantò magis odoris fragrantiam percipiebant. Et (quod mirabilius eſt) terra & lapides ipſi è ſepulchro eruti, eumdẽ efflabãt odorem, inuentoque corpore, tanta ab ipſo fragrantia ſuauitatis emanauit, ac ſi illic florum omnium fuiſſent odoramẽta cõgregata. Tandem Prouincialis a ſepultura corpus extraxit, reperitque capſam in anteriori parte abruptam, & fere putrefactã, & niuioſam, veſtes etiam putrefactas, & corpus opertum terra, quę per capſam ingreſſa fuerat: iacebat prædictum corpus incorruptum, mira quadam integritate ita flexibile, tactuq; ſuaue, ac ſi viuum eſſet, integrum vnà cum inteſtinis, eodẽ modo quo humatũ fuit;

fuit; oleiq; copiam magnam effundens, ac odorem ſuauiſſimum emittens;quod a peritiſſimis, medicis alijsq; perſonis ſpectatæ auctoritatis viſum, tamquam miraculum reputatum & approbatum fuit. Quę corporis incorruptio vſq; ad hodiernum diem perſeuerat, & in vniuerſa Hiſpania alijsq; remotis prouincijs publica eſt & notoria,ac pręter vel ſupernaturalem rerum ordinem eueniſſe habita, & credita.

De oleo ſeu liquore qui ex corpore Virginis continuo emanat.

98. Ab hoc venerabili corpore egreditur aſſidue liquor quidam ad modum olei vel balſami, tanta abundantia,vt prius quàm illud è ſepulchro extraxiſſent,terram capſæ,in qua poſitum fuerat,proximam penetraret: qui etiam egreditur a quouis carnis fruſtulo,quamuis à prædicto corpore diſiuncto. Quod oleum collectum fuit in multis pannis, quibus mediantibus Deus multa miracula operatus eſt (vt infra annotabitur) in confirmationem, quòd ſit oleum præter vel ſupra naturalem rerum ordinem fluens, vt hoc in vniuerſa Hiſpania fuit & eſt publicum & notorium.

De odore ſuauiſſimo corporis, & aliarum reliquiarum ſeruæ Dei.

99. Ab hoc etiam venerabili corpore, & ab omnibus alijs reliquijs huius Virginis,videlicet veſtibus,litteris,ſcripturis,& libris quos conſcripſit,egreditur mira quædam odoris ſuauitas; quod in tota Hiſpania publicũ eſt,& publica vox & fama,ac in confirmationem huius ſuauitatis & odoris Deus aliqua miracula operatus eſt.

Primò cùm Pater Prouincialis, qui tunc temporis erat, tulisset manū huius corporis Olijsiponem, statim ac peruenit ad Monasterium, cùm omnes Moniales percepissent magnam odoris suauitatem, quam manus exhalabat (nā erat notabilis & extraordinaria) aderat monialis quædam inter illas, vocata Agnes à Matre Dei, à natiuitate, odoratus vsu prorsus carens: quę ægre ferens non posse illam sanctam reliquiam olfacere, vt cæteræ moniales; genibus flexis manu Dei seruæ admota naribus, magna fide dixit, *certè non sum hinc surrectura, nisi olfaciam illud, quod meæ sorores odorant, vt cum ipsis possim Deum laudare.* Protinus magno rubore perfusa, flens, sentiebat fumum quendam calidum egredi ex ea manu, & per nares eius ascēdere, quo sensus paulatim aperiebatur; & ita accidit, nam statim odorem manus percepit; & exinde perfectus ille sensus olfactus in ea permansit. Cùm aliæ Moniales vellent rei veritatem magis explorare, illi posuerunt varias odorum species, quas bene discernebat, aiens, *hoc bene olet, illud malè,* licet sigillatim non posset declarare qui odor esset.

Cumque idem Prouincialis eiusdem ordinis secum ferret digitum dictę Virginis, cumque ostenderet Monialibus degentibus in Conuentu Malagon, eis dixit, cōsiderate quomodo oleat. Erat in illo Monasterio quędam soror laica, parum erga prædictam Virginem affecta, eò quòd dum viueret, ab illa mortificata fuisset: & intra se dixit (vt postea ipsa confessa est) *dicunt, quòd olet, imo fœtet*: nondum ferè hoc dicere compleuerat, cùm

statim

ſtatim egreſſus eſt è digito adeo intenſus odor, vt ex vi illius ferè omni ſenſu deſtituta ceciderit, erat enim ſtās: nec multò pòſt in ſe reuerſa, culpam agnouit, & confeſſa eſt virtutem, quam Deus in illo digito collocauerat, & tunc dixit altiori quàm ſolebat voce, *nunc multum olet.*

De panno ſanguine ſanƈto tinƈto reperto in corpore Virginis.

100. Ante obitum Virginis illi applicauerunt quendam pannum laneum, vt ſanguinis fluxum impediret, cum quo ipſam humauerunt: & poſt triennium inuenerunt pannum tinctum ſanguine, adeo viuo & recenti colore, ac ſi illa ipſa hora fuiſſet egreſſus è corpore, olentem ſuauiſſimè, vt aliæ reliquię Virginis; Et partes prędicti panni, quę non erant ſanguine conſperſę, erant putrefactæ, Reliquæ verò in quibus erat ſanguis, remanſerunt intactæ & integræ: & omnes panni in quibus prædictus pannus inuoluebatur, ſanguine tincti reddebantur. Quod vt notabile miraculum a medicis fuit tunda judicatum.

Applicato corpori Virginis aliquo linteo, ſæpe contigit, vt ex eo viuus & recens ſanguis egrederetur: & idem inuentum eſt in aliquibus fruſtibus carnis, ex quibus viuus ſanguis exijt, ſolummodo inuolutis in aliqua carta aut in alia re (quod etiam accidit in terra quę corpori coniuncta erat) & item in alijs occaſionibus viſa ſunt alia miracula, pręſertim Cæſarauguſtæ, vbi in Conuentu Monialium Diſcalceatarum ſeruatur Zona, cum qua Virgo fuit ſepulta, ex qua aliquando egredi viſæ

sunt aliquæ guttulæ coloris sanguinei: & hæc Zona in magna veneratione habetur in prædicta vrbe, & cum ipsa multa miracula facta sunt.

De translatione corporis in Ciuitatem Abulæ.

101. Dum Virgo in humanis ageret, D. Aluarus de Mendoza Episcopus Abulensis ob deuotionem ac æstimationem Sanctitatis quam de Virgine conceperat, extruxit capellam maiorem primi Conuentus, quem Virgo Abulæ erexerat, ea conditione, vt ex vno latere Capellæ collocaretur eius corpus, & ex alio corpus dictæ Teresiæ: & hac de causa scripturam confecerat subsignatam a Prouinciali ordinis: vt vbicunque prædicta Teresia obiret, inde Abulam transferretur: sicque tam Episcopus quàm Ciuitas Abulensis in primo Capitulo ordinis celebrato, post obitum Virginis rogatum miserunt, vt Abulam corpus Virginis transferretur; quod cùm a Capitulo obtinuissent, ad opus peragendum missi sunt duo Prelati, qui dictum corpus Abulam transferrent, relicto brachio in Ciuitate Albæ. Tanta autem fuit odoris suauitas, quæ in extrahendo corpore manauit, vt Moniales, quæ in choro matutinas preces recitabant, illam percipientes, reique factum suspicantes, illico relictis precibus in inferiorem chorum descenderint. Cumque ante illarum aduentum jam corpus esset extractũ, dicti Patres Abulam illud tulerunt mense Nouembri 1585. vbi secretò admodum asseruatum est.

Demum cùm hoc denuntiatum esset Duci Albæ D. Anto-

Antonio de Toledo, & Patruo eius D. Ferdinando de Toledo, Priori ordinis Sancti Ioannis, litem religioni inferentes diploma a Sixto V. Fel. mem. obtinuerunt, vt corpus Albam reportaretur: quod factum fuit die 23. Augusti anni 1586. vbi magno applausu receptum est; nec inde vllis vmquam precibus Ciuitatis Abulensis extrahi potuit, renitente Duce Albæ, & eius Patruo Ferdinando de Toledo.

102. Deus etiam ad intercessionem, & per inuocationem seruæ suæ Teresiæ, nedum in Hispania, sed in multis alijs prouincijs & regionibus operatus est, & quotidie operatur plurima miracula: & quod omnes de huiusmodi miraculis notitiam habentes sine aliqua dubitatione crediderunt, tenuerunt, & reputauerunt, tenent, credunt, & reputant miracula huiusmodi fuisse, & esse vera, & non ex arte neque ex vi verborum, neque ex illicita pactione cum aliquo malo spiritu, sed a Deo, ob merita, & ad intercessionem seruę suę Teresię: quæ omnia per totam Hispaniam publica & comprobata sunt.

De fama & opinione Sanctitatis dum viueret serua Dei.

103. Fuit insuper dicta serua Theresia, dum in humanis ageret, ab omnibus vtriusque sexus fidelibus tam a Principibus, Nobilibus, quàm ignobilibus, tam a laicis quàm ab Ecclesiasticis, & præsertim a viris religiosis, spiritu & doctrina præstantibus, communiter & vniuersaliter habita, & reputata pro Sancta.

Et ob

Et ob famam Sanctitatis eius Principissa D. Ioanna Soror Philippi II. Regis, curauit per aliquot dies eam secum detinere, in Monasterio quod Madriti erexerat; & aliæ DD. Primariæ, videlicet Ducissa Albæ D. Maria de Toledo, & D. Aloisia de la Cerda soror Ducis Medinæ Cœli, rogabant Prælatos seruæ Dei, vt illam per aliquot dies secum habere possent. Et Episcopus Abulensis, D. Aluarus de Mendoza, qui multos annos fuit Prælatus Virginis, construxit Capellam maiorem Conuentus, quam prædicta Virgo Abulæ erexerat, speciali conditione, vt serua Dei post obitum collocaretur in Altari dictæ Capellæ.

Et dum adhuc viueret, dicere solebat P. F. Petrus de Alcantara, fundator nouæ reformationis Discalceatorum Franciscanæ familiæ (vir aliâs Sanctissimus, & discretionis virtute conspicuus) *Dei seruam esse vnam ex sanctioribus, quas Deus in ecclesia sua haberet*: & P. F. Petrus de Iuañez ex familia S. Dominici, & confessarius suus dicebat, impossibile sibi esse, eam nō existimare Sanctam, & solebat dicere, quòd illam non cognoscebant. Et communiter ab omnibus erat habita & reputata talis, maxime a viris doctissimis & grauissimis, vt supra dictum est.

Et hæc vox & fama Sanctitatis fuit, erat, & est publica & notoria.

Fama & opinio Sanctitatis seruæ Dei post eius obitum.

104. Et postquam de hoc seculo migrauit, habita fuit Dei

Dei serua, non solùm pro sancta, sed pro muliere singularis & excellentis sanctitatis, nedum in Hispania, sed in Gallia & in Italia, in Indijs Occidentalibus, alijsq; varijs regnis habita est, non ab humilis solùm, vel mediocris conditionis hominibus magna existimatio & opinio de eius sanctitate; verum a summis Regibus, Principibus, Cardinalibus, Episcopis, viris doctis & grauibus, alijsq; vtriusque sexus fidelibus, ab ijs magis & assensu firmiori, qui vel religionis, mendicantis obseruãtia, vel monastica disciplina ætatem agunt, veluti si eiusdem ordinis filia, vel religionis alumna foret, sic ac omnibus instituti hominibus sancta mater appellatur.

Eius reliquiæ in Hispania, & extra ipsam distributæ sunt inter Principes, Cardinales, Episcopos & Religiosos, aliasque personas, habenturque vt reliquiæ sanctæ, & seruantur in Reliquiarijs cum magna veneratione inter sanctorum reliquias, atque requiruntur ab his qui eas non habent, magno affectu & deuotione, adeo vt non solùm caro eius aut vestes seruentur, sed etiam missiuæ epistolæ sua manu scriptæ. Sic vt in Hispania nobilis quædam persona in oppido de Alfaro testamento reliquerit epistolam seruæ Dei, astringens hæredem, vt illam semper conseruaret, sub pœna amissionis certæ quantitatis pecuniæ, quod etiam ab alijs in similibus reliquijs pręstitum est.

Statim ac decessit serua Dei, D. Ferdinandus de Toledo Prior ordinis S. Ioannis reliquit quatuordecim millia ducatorum ad sumptus canonizationis sanctæ Virginis subleunndos. Alia Domina fundatrix Conuentus Albæ

reliquit ſexcentos, vt illi conſtrueretur ſacellum & ſepulchrum vt ſanctæ.

Statim depicta fuit eius imago cum radijs & ſplendoribus gloriæ, & ſæpè typis mandata multis in locis, vt in Hiſpania, Roma, Lutetia, & alibi, nec typis excuſæ ſolùm, ſed a varijs pictoribus, varijs in locis etiam depictæ. Quę imagines paſſim in eccleſijs, publicis ſacellis, & in cubiculis Epiſcoporum, aliarumque perſonarum grauium viſuntur, qui eas non minori quàm ſanctorum imagines cultu & veneratione proſequuntur.

Communiter vtriuſque ſexus fideles in ſuis calamitatibus, infirmitatibus, & tribulationibus ſeipſos commendant huic ſeruæ Dei, vt mulieri ſanctę: & ſunt multi qui quotidie particularibus orationibus eius opem implorant, & illam colunt, vt ſpecialem patronam & aduocatam, & per eius interceſſionem ſe multas a Deo gratias & fauores impetraturos ſperant, ſed & impetrant. Adeo vt paulò pòſt eius obitum typis mandatæ fuerint multæ commemorationes cum eius Antiphonâ & oratione propria, quę per vniuerſam Hiſpaniam diſtributę, ſępe in Eccleſiaſticis lectionibus, & quotidianis precibus iterantur.

In ſignum deuotionis & ſanctitatis erga Dei ſeruam, nonnulli viri graues multa ei fecerunt obſequia, vt mulieri ſanctæ, Reuerendiſſimus inprimis Epiſcopus Abulenſis D. Laurentius de Otadici erexit conuentum fratrum Carmelitarum diſcalceatorum reformationis, quã Dei ſerua Abulæ inſtituit, & in ſcripturis quas facit cum

religione

religione dicit ſe erigere illum Conuentum ad gloriam & honorem Dei, & S. Matris Thereſiæ a Ieſu.

Illuſt. Patriarcha Antiochiæ, Archiepiſcopus Valētię, D. Ioannes de Ribera in ſtatutis quæ facit cuiusdam Collegij aſsignans particulares portiones diſtribuendas quibusdam pręcipuis ſanctorum feſtiuitatibus, dicit, vt ſtatim ac Dei ſerua fuerit canonizata, in die feſto eius diſtribuatur idem quod in alijs diebus aſsignatis diſtribui ſolet.

Ad euulgandam ſanctitatem ſeruæ Dei Thereſiæ poſt eius obitum conſcripti ſunt quatuor libri de eius vita, & ſanctitate a perſonis admodum grauibus. Primum compoſuit Pater Ribera Societatis Ieſu, Lector ſcripturæ Salmanticæ, & vir alias grauiſsimus, qui in huius libri ſcriptione nullum alium finem habuit (vt ipſe in prologo fatetur) niſi gloriā Dei, & Eccleſię vtilitatem, vtque in ea cognita eſſet magna ſanctitas ſeruæ Dei. Alium edidit Reuerend. Epiſcopus Tiraſonenſis Confeſſarius præfatæ Thereſiæ, & Regis Philippi II. Conſcripſit & alium P. F. Ioannes a Ieſu Maria, diffinitor ordinis. Quartum, P. Iulianus de Auila, Confeſſarius dictę Virginis Thereſiæ, etiam ſanctitate & virtute præſtans. Præter hos libros ſcripſit epiſtolam, in commendationem eius ſanctitatis, M. F. Aloyſius de Leon, ex familia S. Auguſt. Cathedraticus ſcripturæ ſcholæ Salmanticenſis, & vir ex doctioribus, & maioris authoritatis eorum qui ſua tempeſtate in Hiſpania floruerunt. Præter quos omnes multi authores in ſuis operibus particularia elogia faciūt

Q 2 de ſancti-

de sanctitate eiusdem Virginis, cuius etiam obitu singulis annis Salmanticæ, & in alijs locis designato quodam die sermo habitus publicè est, in honorem & laudē dictæ Virginis, quem plerumque vel Magistri Theologiæ, vel aliæ personæ doctores, & maioris auctoritatis in illa vniuersitate florentes, pronuntiarunt sic, vt etiam die quadā concionem ad populum habens P. F. Dominicus Bañez primarius Cathedraticus illius vniuersitatis dixerit, *se tā sanctam existimare seruam Dei Theresiam, quàm Diuam Catherinam Senensem, quodque hæc Senensem illam in suis scriptis, multis parasanguis anteiret.*

In plurimis Hispanię & Italiæ locis ob deuotionē Dei seruæ, puellis nomen Theresię imponitur, quod idem accidit in remotissimis regionibus Philippinarum Insularum, vbi etiam Indicę mulieres nouiter ad fidem conuersæ suas filias huius Virginis deuotione nomine Theresiano vocant.

De frequentia sepulchri seruæ Dei.

105. Statim verò ac corpus seruę Dei Theresiæ ex Ciuitate Abulæ Albam allatum fuit, D. Maria Enriquez de Toledo, Ducissa Albæ, pro corpore seruæ Dei asseruando confecit arcam multi pretij & æstimationis, serico purpureo ornatam, clauis laminisque inauratis distinctam. Cuius pietatē exsuperans Serenifs. Domina Clara Eugenia ex mandato Patris sui Philippi II. Regis illuc operim entum broccati misit, ad tegendam arcam, sicque aliquamdiu corpus permansit, donec illi constructum fuit

facel-

ſacellum ſumptuoſum a terra erectum cum inauratis cellis vndique ex illis pendentibus argenteis telis, magna argentea lampade poſita, omnia inſigni Ducis Albani Antonij Aluarez de Toledo liberalitate tributa, & ad tumulum Virginis collocata, ex vtraque parte ſepulchri poſitum eſt hoc Epitaphium.

RIGIDIS CARMELI PATRVM RESTITVTIS REGVLIS,
PLVRIMIS VIRORVM FOEMINARVMQ; ERECTIS CLAVSTRIS,
MVLTIS VERAM VIRTVTEM DOCENTIBVS LIBRIS EDITIS,
FVTVRI PRÆSCIA, SIGNIS CLARA, CÆLESTE SIDVS AD SIDERA EVOLAVIT
BEATA VIRGO THERESIA.
IIII. NON. OCTOBRIS CIƆ IƆ D. CCC. II.
MANET SVB MARMORE, NON CINIS, SED MADIDVM CORPVS,
PROPRIO SVAVISSIMO ODORE OSTENTVM GLORIÆ.

Ad quod ſepulchrum hactenus fuit habitus, & habetur indies frequens vtriuſque ſexus concurſus, non ſolum ex oppido Albę, ſed etiam ex alijs Ciuitatibus, &

Regnis: & præfertim Ciuitate Salmantica. Vnde plures Magiftri graues, & docti Prælati,& Religiofi aliarum familiarum magna deuotione vifitant dictæ Therefiæ fepulchrum,pro impetrãda eius apudDeum intercefsione: quos neq; ab initio traxit,neq; nunc trahit aliqua humana diligentia,vel folicitudo, vel lucrũ, vel inanis gloria, vel fama tali ratione comparanda,vel aliqua demun alia terrena vtilitas,fed fola deuotio,& pius erga S. Virginem affectus, quo diuinitus huiufmodi corda mouentur, eos traxit & trahit fponte accedentes,vt feruæ Dei implorent auxilium:& quoniam frequenter optata beneficia confequuti funt, fufpenderunt, & fufpenfæ apparent circa fepulchrum votiuæ tabellæ, & donaria cerea diuerfarum formarum, vt in Hifpania fieri eft folitum.



SERVÆ